UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, M.DC.LXXX.**

Dispvtatio II. De prouidentiæ diuinæ eßentia, & diuisione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library

lium, & per miniſtros ſuos regna gubernant: quia aliter ob mentis & potentiæ ſuæ limitationem nequeunt. Cæterùm, ſi res ipſa gubernandi per alios, & curam aliorum aliis demandandi bene, vt à Patribus inſpecta, & penetrata eſt conſideretur: cum mihi aliud ſit, quam curam aliorum miniſtris intermediis demandare, atque à ſe abiicere: Principes, qui prouinciarum curam Miniſtris delegant illarum in ſeipſis curam, aut prouidentiam non reſeruant, ſed tantum erga Miniſtrorum, quibus delegant vt ſingulorum, & ſingularium curam habeant, deſignationem, & curæ ac prouidentiæ ab eis habitæ ponendam rationem. Quo circa cum ſingulorum, & ſingularium omnium vniuerſi prouidentiam ſcriptura, Patres, & ſcholaſtici in Deo abſolutè aſſerunt, & demonſtrant, immediatam, & per ſeipſum habitam docto cuique, & ſuggerunt, & euincunt. Sumus autem, cum ſcribimus, præſertim de re momenti tanti, & docemus, ſapientibus, & inſipientibus, ſeu minus ſapientibus, vt ſapientiores fiant debitores.

10. Ne verò quiſpiam putet immediata hac Dei erga omnia, & ſingula creata prouidentia hactenus demonſtrata inferiorum aliquot creaturarum rationalium, nempe hominum, & Angelorum prouidentiam aboleri? aduerte cum Caietano 1. part. quæſtione 22. articulo 3. ex Sancto Thoma 3. cont Gent. cap. 76. id minimè ea concluſione aſſeri, aut intendi, neque ex demonſtrata concluſione inferri: ſolum enim aſſerimus, & demonſtramus rationem ordinis omnium, & ſingularum creaturarum in finem primarium penes Deum eſſe ipſum, quin creatum aliquid pro libito, & arbitrio alteri in ſuum finem independenter ab ordine intrinſeco Dei ordinatione, & prouidentia præſcripto ordinare deleget, & mandet (vt Plato & Ariſtoteles ſomniarunt) ſed iuxta ordinem à Deo ſingulis creatis præſcriptum res gubernent, mediaque etiam à Deo eiuſque prouidentia deſtinata, Deo etiam ex eadem prouidentia cooperante, non quidem ex Dei indigentia, ſed potius dignatione exequuntur. Eum verò à ſe præconceptum ordinem rationalibus creaturis, præſertim Angelis bonis, & quandoque malis, reuelat, ac ſeruari præcipit: & in Scriptura, & Patribus eſt frequens, & controuerſia de Angelis oſtendemus. Cauſis verò irrationalibus Phyſica, vt ſic loquar, præſcriptæ ordinationis ſuæ intimatione, quatenus phyſica actiuitate & natiua inclinatione ad id agendum, quod earum conditor Deus de vnaquaque vult, in ſui ipſarum conditione, & ordinatione accepta pergunt. Qua ſanè ratione mediatè, etiam quoad externam gubernationem, & executionem, & immediatè rebus prouidet omnibus: quatenus gubernatione extrinſeca, & executione mandatariæ iſtæ creaturæ ordinationis diuinæ intimatione ſiue morali, ſiue phyſica mediatè operatur, & extrinſecè gubernat res omnes Deus: & immediatè etiam, quatenus immediatè ac per ſeipſum ad has omnes mandatariæ creaturæ functiones voluntate ſua iuuat, diſponit, & cooperatur.

# DISPVTATIO II.

## *De Prouidentiæ diuinæ eſſentia, & diuiſione.*

TAMETSI d. 1. quæſtione prima, certamine primo è vocis Etymologia, & Patrum dictis nonnullis, rudi Minerua, quid Dei prouidentia ſit præmiſerimus: illius tamen eſſentia eis Patrum effatis, quaſi inuolucro tradita, euoluenda nunc eſt, atque rigore ſcolaſtico explicanda, & ſtatuenda. Deinde verò in ſuas ſpeciales diuidenda, vt de inceps, quæ diſputatione Theologis vtili & opportuna, opus habeant, ſingulatim diſputentur.



## QVÆSTIO I.

### *Quibuſnam Prouidentia Dei vniuerſim conſtet?*

VT præſentis difficultatis Scopus, in quem, & præſens quæſtio collimare debeat, in apertum producatur, ſupponendum eſt: Diuinam prouidentiam immanentem Deo intrinſecam operationem, ſeu actum eſſe operationem, inquam, etſi veram, non tamen realem phyſicam, ſed ſolum realem intentionalem, vt tom. 1. de Deo vno, controuerſia ſecunda de Scientia Dei d. 2. quæſtione prima oſtendebamus, vtróque vero titulo conſtat non, niſi in operatione, vel intellectus, vel voluntatis, vel vtriuſque Dei prouidentiam ſtare poſſe: quoniam nec purè ſpiritualis ſubſtantiæ (qualis Deus eſt) immanens alia operatio eſſe poteſt: nec operatio purè intentionalis, quæ vel intellectio, vel volitio non ſit. Vnde Sanctus Maximus centur. 3. capite 13. tomo quinto. Biblioth. Alexand. Aphrodiſæus 1. quæſtione natural. capite 75. (apud Iulium Syren. 4. de prouidentia capite 27.) tanquam ex Ariſtotele per motum & vnius rei in aliam, ſeu propter aliam, & creatam tranſmiſſionem rerum in finem Dei prouidentiam definientes, non tam eſſentialem definitionem diuinæ prouidentiæ tradere, quam eam per obiecta & effectus aliquatenus oſtendere credendi ſunt. De quo fusè Aureolus in primo d. 40. articulo primo: quare præſens controuerſia de ea ſolum eſſe poteſt, an alterutra operatione intellectus, vel voluntatis Dei, an vtraque diuina, erga res omnes, & ſingulas demonſtrata d. 1. conſiſtat prouidentia.

## CERTAMEN I.

### *Exactior difficultatis dirimendæ explicatio, & Doctorum ſententiæ.*

1. PRæmittendum eſt, Prouidentiam omnem, ac proindè Dei, ſcientiam, & voluntatis actum, vt eſſentialem (vt minimum) conditionem ſeu adiectum requirere: ita vt alterutra ſublata nequeat prouidentia ſubſiſtere. De ſcientia conſtat: quia ea ſublata de mediis, & fine, atque illorum in hunc ordine, nequit eſſe in Deo actus voluntatis ordinandi media in finem: cum voluntas in incognitum ferri nullatenus poſſit: ergo, etſi in actu voluntatis ordinandi res creatas in finem; ac prouidendi eis de mediis adæquatè conſiſtat, ſcientiam de eis eſſentia ſua ſupponit. Actum verò voluntatis per eiuſmodi ſcientiam directum, vt adiunctum eſſentiale prouidentiæ requiri, ſine quo prouidentiam Dei eſſe repugnet; tametſi in ea ſcientia ſola totum directum ſignificatum eſſentiale ſtare contendas, certiſſimum eſt. Siquidem ſcientia illa voluntati ordinandi res in finem & mediorum ad illum conſequendum prælucens eſt ſcientia vel ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate, ſeu media de conditionata futuritione, cum finis, tum mediorum, nullatenus actiua eſt & practica, niſi medio actu voluntatis; ſed ſolum ſpeculatiua, & de ſe indifferens ad ordinandas res in finem, & prouidendum, ſeu diſponendum eis media, per quæ illum conſequantur conſequive poſſint: quare eiuſmodi ſcientia communis, & rebus à Deo prouiſis,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& rebus à Deo prouiſis, & non prouiſis, immò purè poſſibilibus omni, non ſolum ordinatione in finem, & mediis omnibus ad illum conſequendum, verum & exiſtentia propria abſolutè deſtitutis eſt.

2. Actus verò imperij vlterior, quem in intellectu Dei nonnulli iam referendi, ponunt (& in quo ſolo prouidentiam Dei volunt eſſe ſitam) præfatos actus, & voluntatis, & ſcientiæ ipſos regulantis, & dirigentis eſſentialiter ſupponit; quomodocumque actus imperij eſſe poſſit, vel authoribus explicari ſiue imperatiuè formaliter, vel æquiualenter, vt à nonnullis Thomiſtis exemplis pluribus ex Geneſ. 1. *fiat firmamentum, &c.* dicitur explicari, ſiue iudicio aſſertiuo, ſolum de præſente Dei voluntate condendi, & ordinandi res in finem, quem cuique præſtituit, & diſponendi media ad illius conſequutionem, quo ſcilicet dicat, iudicetque Deus, *volo rem in hunc finem condere, & dare media, quibus illum aſſequatur*, vt explicat Ruiz noſter inferius referendus: vtrovis enim modo præfatos actus voluntatis, & ſcientiæ eſſentialiter imperium illud ſupponit. Qui autem prouidentiam Dei ex æquo, ex duobus illis actibus, & ſcientiæ dirigentis, & voluntatis per eam directi aiunt conflari, planius præmiſſo huic noſtro aſſentiuntur: idcircò Patres plures aliquando Dei prouidentiam in eius ſcientia, aliquando in Dei voluntate, quandoque in vtraque videntur collocare (vt locis ipſorum in hac quæſtione referendis conſtabit) vt hac ipſa varietate pæmiſſi huius veritatem firmam eorum mentibus fatereatur: ita ſcilicet vtrumque actum ad prouidentiam Dei eſſentialiter requiri, vt alterutro ſublato Dei prouidentia, neque eſſe, nec concipi valeret.

3. Sed verò, vt Doctorum hac de re ſententiæ dilucidè proponi, & percipi valeant, ac, vltra æquiuocationem, & confuſionem omnem, improbandarum rationes, & impugnationes, noſtræque ſententiæ veritas, & fundamentorum eius robur plenius, & clarius appareant, actus omnes, cum intellectus, tum voluntatis Dei, qui neceſſario, ſiue directo, ſiue præſuppoſitiuè, & connotatiuè, ac indirectè, & in obliquo ad prouidentiam de rebus habendam interueniunt, ſpecialius, explicatiuſque oportet euoluere: & de ſcientiæ dirigentis actum voluntatis de ordine, & extrinſeca Deo gubernatione, & tranſmiſſione rerum in finem, per media, quibus eum aſſequetur, vel ſaltim aſſequi poſſit, conſtar eſſe ſcientiam, & de poſſibilitate finis, mediorum, & conducentiæ horum, vt eiuſmodi finis de facto obtineatur illis adhibitis: ſi omni ſerietate, qua poteſt in finem obtinendum, etiam liberè à creatura rationali, atque ſeruata arbitrij, & operationum eius libertate voluntate ſua Deus feratur: ſin autem non omni ſerietate, qua poteſt res creatas liberas (reſpectu quarum ſolum maiori, vel minori ſerietati voluntatis, ſeu intentionis finis, per eius liberas operationes obtinendi, & prouidentiæ, qua illas in eum ordinat finem, ac media diſponit, locus eſt) vult in finem, quem illis præſtituit ordinare, atque de facto perducere, ſola ſcientia poſſibilitatis conſequendi finem (ad quem illas ordinat, intenditque prouidentia illa ſerio quidem, at non ſerietate omni, qua poteſt, & ſolum, quatenus ex parte ſui prouidentis ſatis ſit, vt non per ipſum ſtet finis non aſſecutio) voluntatem illam ita ordinandi illas in finem, & diſponendi media diriget, atque antecedet. Hoc totum omnibus in confeſſo eſt, ac de ſe patet. Etenim, nec finis ſeriò intendi à cordato aliquo etiam homine poteſt, quin de eius poſſibilitate cognitio præcedat, neque ex ea intentione, vtcunque ſeria, eligi media, vt finis, abſolutè poſſit obtineri, niſi eorum conducentia, vt obtineri per illa abſolutè poſſit præcognita.

4. Denique, ſi intentio Dei, & voluntas finis obtinendi per liberos creaturæ rationalis actus, quantum ex parte Dei eſſe poteſt, ſeria ſit, ac media natura, & entitate ſua, atque ab intrinſeco ſui efficacia eſſe non poſſint (vt ex dictis tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. tota ſupponimus nec diſputamus) nequit cordate Deus medium eligere, quod habiturum effectum finis obtinendi ſcientia conditionata non prænouerit: nè, & cauſa ſerio à ſe intenta cadat, & prouidentia Dei, ſicuti creata noſtra incerta ſit, caſibuſque, & fortuitis obnoxia: quibus omnibus, nempè, & omninò ſeriæ ex parte Dei intentioni finis obtinendi dependenter à creatæ libertatis vſu, & exercitio, & prouidentiæ certitudini, & infruſtrabilitati, atque creatæ libertati conciliandis, diuinæ ſcientiæ mediæ, per ſcripturam, & Patres æquiualentibus traditæ, vox, & breuior, & clarior traditio facie (nec niſi fauente Deo) noſtri Molinæ, & coætaneorum Magiſtrorum noſtrorum ſimultanea (nullo alterius conſcio) vbivis gentium fuſior ad ſcholarum formam doctrina, & explicatior: abundè à nobis explicata tom. 1. de Deo vno controuerſia 2. de ſcientia Dei, à diſputat. 5. & controuerſia 3. diſp. 1. tota, & hic contr. 4. diſput. 6. De quo iterum q. 2. cert. 3. & 5. vbi grauem in directione illa difficultatem, ad quam iuuenis offendi, & tetigi controu. de ſcientia, & de volunt. (&, quatenus ibi opus fuit, complanaui) penitus diſſoluam.

5. Mitto ſcientias alias viſionis cauſæ, vel phyſicæ, vel moralis, quarum abſoluta exigentia præuiſa Deus ad effectum aliquem prouidentiæ ſuæ, vel ſe ſolo, vel cum alia cauſa exequendum mouetur, quas proinde ad prouidentiam ſpectare docent Recentiores nonnulli citati ab Herize tract. 1. d. 10. cap. 1. & refutati ab eodem tract. 3. d. 22. cap. 2. à num. 10. quibus tamen ſuæ impugnationi obnoxius iiſdem locis ex parte ipſe conſentit: cenſens, nempè, ad defuncti prouidentiam, ex qua reſurgat eius vt primo producti viſionem ſpectare. Cur autem non addit ob eandem etiam rationem vt mortui? ſed iſti verò ſcientiam omnem, quomodocunque abſoluti effectus prouidentiæ cauſatiuam ſcientiam practicam, & directiuam cenſent: quare & cum ſcientia proviſionis, ſeu prouidentiæ confundunt quæ practica, & directiua voluntatis, ac modum obtinendi, & media, & finem, in quem res ordinanda eſt præſcribens eſſe debet, vt patet. Nec pluribus opus eſt, vt ſcientia viſionis horum, & ſimilium obiectorum à ſcientia ad prouidentiam ſpectante, de qua, an prouidentia ſit vel illam eſſentialiter conſtituat? quæſtio eſſe inter Theologos poſſit, eliminetur: licet ipſi alterutrum affirment. Neque enim patior lubens opiniones pro cuiuſque cogitatione non ſatis probabiliter fundatas, in quæſtionibus, vel Philoſophicis, vel Theologicis multiplicari; earumque ſubinde in vnaquaque catalogum ſingulis quæſtionibus adeo inutiliter creſcere, & paragraphis multis, & oblongis impugnare: quaſi pluribus iam pridem non multo operæ pretio ad relationem, & confutationem admiſſis; tædio & lectorum ſatis non foret.

6. Actus intellectus, qui imperium ſit, taléque proprié eſſe à nonnullis dicitur, actum ſcientiæ, vel ſimplicis intelligentiæ, vel mediæ, & voluntatis ordinandi creaturam, & diſponendi media ad finem in eorum etiam ſententia ſubſequitur; tametſi non idem actus, neque eodem modo ab omnibus imperij intellectualis authoribus aſſeratur, & explicetur iuxta explicationem imperij intellectualis vniuerſim. Sotus 1. de Iuſt. quæſtione 1. art. 1. ad 1. Bartholom. Medinæ 1. 2. quæſt. 17. articulo 1. ad 2. & Thomiſtæ Dominicani docent: eſſe actum intellectus, quo alicui intimatur aliquid faciendum ex imperantis voluntate, qui actus, nec iudicium aſſertiuum ſit, nec præſentis, ſed imperatiui modi verbo poſſit explicari, iuxta S. Thom. 1. parte, quæſt. 17. art. 1. corp. aientem, *talis intimatio* (quam rationis, ſeu intellectus eſſe immediatè docuerat) *exprimitur per verbum imperatiui modi. Puta; cum alicui dicitur fac hoc:* quibus ſimilia habet quæſtione 57. articulo ſexto, & Ariſtoteles ſexto Ethic. capite nono, & decimo: Noſter Ruiz d. 3. ſectione ſeptimo, numero 9. & ſect. 9. num. 2. hoc intellectuale imperium nihil aliud eſſe docet, quam iudicium aſſertiuum de præſenti modi indicatiui voluntatis à Deo præhabitæ, ordinationis, & tranſmiſſionis rei, cui prouidet, in finem ab ipſo præſtitutum per talia media, verbi gratia, *Volo Petrum ad beatitudinem perducere, & hæc media conferre, quibus eam de facto, & libere conſequetur.* Hoc iudicium in Deo voluntatem Dei de eius ſalute per hæc media conceptam neceſſario conſequens, & aſſerens tam certo eſt, quam certo Deus eſt omniſcius: actum vero hunc imperium eſſe non adeo certum,

7. Noſter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

7. Noſter Herize tract. 3. diſputatione 22. capite 4. à num 35. præter imperium voluntatis, quod primum primarium, & principale, & neceſſarium mouens ad actiones potentiarum cuiuſque (quod monaſticum, ſiue vnius, & eiuſdem ad ſeipſum eundem, & vnum appellatur) eſſe ſtatuit, aliud imperium intellectuale ab imperio illo voluntatis primario tanquam à capite deriuatum in Deo etiam recognoſcit in Sancti Thomæ gratiam: atque exemplo moralis, & politici explicat: quemadmodum enim audito conſiliario Princeps poteſt ita annuere, vt ei etiam imperet, vt ſi quando illum in executione, & vſu eorum, quæ eius conſilio ſtatuit efficienda, remiſſum videat, hortetur, & vrgeat ad ea exequenda: ſic voluntas conſiliaria intellectui poteſt ita annuere, vt ſimul ipſi imperet, vt ſi quando, vel difficultate executionis, vel aliunde retardetur, ipſum adhortationibus, rationibuſque eiſdem propoſitis imperioſè (ipſius enim imperio actu illo ſponte ſua ſe ſubdit voluntas, liberarum determinationum Princeps, & caput) vrgeat, vt media apponat, atque iam ab ea ſtatutum exequatur. Ad hunc igitur modum imperium intellectuale in Deo ponit Herize, reſecatis tamen imperfectionibus: ac proinde concludit intellectuale hoc imperium è primaria voluntatis diuinæ determinatione non eſſe admittendum, vt difficultates ſemel ab ea ſtatuti retardantes,) quæ reſpectu voluntatis diuinæ eſſe nequeunt) ab executione ſuperentur: nec ſtare in actu intellectus, qui iudicium aſſertiuum, & de præſenti indicatiui modi non ſit, ſed ſolum modi imperatiui (quem intellectus actum impoſſibilem reiecerat à numero 29. ad 34.) ſed ſtare ſolum in iudiciis proponentibus diuinæ voluntati viui de mediorum electionem ad ipſam concipiendam, & vſum ex finis intentione præſuppoſita: atque hæc iudicia merito imperia intellectualia eſſe gratiùs aſſerit, quam probet, atque Deo repugnant: cui nequit ad vrgendum opus viuidius, aut vlterius aliquid proponi, quàm fuerit pro priori propoſitum.

8. De his intellectus, & voluntatis diuinæ actibus enumeratis, & iuxta Doctorum varias ſententias hactenus explicatis lis non recens Theologis eſt: quiſnam ex eis, vel prouidentiæ adæquatè ſumptæ eſſentia ſit, vel eam eſſentialiter conſtituat? In qua quæſtione prima ſententia prouidentiam in actu ſcientiæ diuinæ dirigente voluntatem ordinandi res, quibus prouidetur à Deo, & tranſmittendi illas in finem eis ab ipſo præſtitutum per talia media connotato actu voluntatis, à quo practica ſcientia ſit, prouidentiam conſtituit. Eam verò ſcientiam ſimplicem intelligentiam antiqui ex citandis pro hac ſententia dixerunt: quo nomine ſcientiam conditionatorum etiam contingentium coërcebant, cuius propria, & ſpecialia ſcrutati non ſunt, neque ex inſtituto diſputarunt: tametſi eam, quoad ſubſtantiam agnouerint, & docuerint: quare nec proprio nomine ſcientiæ mediæ, quo à ſcientia abſolutè libera, & abſolutè neceſſaria, ac præciſæ poſſibilitatis, & abſolutæ futuritionis differt, compellarunt. Noſtri verò omnes, qui poſt editam Molinæ concordiam ſcripſerunt, & primæ huic ſententiæ adhæſerunt prouidentiam rerum naturalium ſcientia ſtrictæ ſimplicis intelligentiæ ſola, rerum verò contingentium ſcientia etiam media conſtare docent: ſtant pro hac ſententia prima Durand. in 1. d. 41. quæſtione ſub fin. Alexand. prima parte quæſtione 28. m. 1, articulo 2. Albertus 1. parte, quæſtione 63. m. 1. Richardus in primo d. 39. articulo ſecundo, quæſtione 1. d. 40. articulo 1. Aureolus articulo ſecundo, circa primam opinionem, Gabriel quæſtione vnica, articulo 1. init. Marſil. in 1. quæſtione 41. init. Altiſiodorenſis 1. ſummæ capite 10. quæſtione 1. Carthuſ. in 1. d. 39. quæſtione ſecunda poſt med. d. 40. quæſtione 1. poſt med. Tarentaſiam & Vdalricum citans (probabilemque reputat ſanctus Bonauentura pro ſecunda ſententia citandus) Bellarminus tomo tertio, libro ſecundo de gratia, & lib. arbitrio capite nono, §. *Diſputant.* Valentia 1. parte, quæſtione 22. punct. 1. §. *Eſt autem.* quæſtione 23. 1. parte, quæſtionis punct. ſecundo, §. *Mihi primum*, & parte ſecunda, punct. 1. init. Fonſeca tomo tertio metaph. libro 6. capite ſecundo, & quæſtione 5. ſectione 2. §. *verum alij*, Leſſius 11. de perfect. diuin. capite 1. numero 1. fin. Pennotus 5. Propugnaculi capite 1. Iulius Syren. 5. de prouidentia capite ſexto. Herize diſputatione 22. capite ſeptimo à numero 57. & cap. 4. à num. 35. Ioannes Præpoſitus prima parte, quæſtione 22. articulo 1. dubitatione prima, numero 4. & 6. verſ. *quæri poteſt.* Faſolus prima parte, tomo ſecundo, quæſtione 22. articulo 1. dub. 1. à numero 10. fusè.

9. Vlterioris voluntatis ſiue electionis mediorum ſiue vſus ſcientiam directricem nonnulli ex illis imperium vocant: quatenus ex præſuppoſita voluntate, ſeu intentione finis efficaci (à qua habet ea ſcientia practicam in eorum ſententia eſſe) non prouidere de mediis vllis, & non tranſmittere creaturam in finem à Deo efficaciter præſcriptum fieri nequit. Cum autem prouidentia in ea electione, & ordinatione rei, cui à Deo prouidetur per media in finem præintentum conſiſtat, fieri videtur, vt ea intentione efficaci finis præſuppoſita iudicium de mediis, & modo quo obtineri is finis à re, cui prouidetur, poteſt, Deum ad electionem, & vſum mediorum horum ſi vnica ſint, vel ſaltem horum, vel illorum, ſi adſint plura, quaſi ex imperio determinet. Hoc voluiſſe Herize dum iudicium antecedens electionem & vſum mediorum imperium merito dici poſſe aſſeruiſſe, ni alia eius doctrina obeſſet, facile crederem: idque ſolum citati ex noſtris pro hac ſententia voluere, dum imperium hoc iudicium quandoque vocarunt, ea autem doctrina euaneſcunt omnia, quæ contra hanc ſententiam opponit Ruiz d. 3. ſectione 5. à numero 3. ſcientia enim de re, & modo, quo fieri rectè poteſt, ex intentione efficaci finis (quam & ipſe ad prouidentiam neceſſario præſupponi putat) rebus à Deo prouiſis, & non prouiſis, prædeſtinatis, ac non prædeſtinatis communis non eſt, (quo omnes Ruiz impugnationes nituntur) vt patet: quare, hæc ſententia eo ſolum impugnari ſolide poteſt, quod apertè falſum ſupponat, de intentione efficaci finis in Deo ad prouidentiam prærequiſita: cuius oppoſitum in ſpecie prouidentiæ alicuius nempe prædeſtinatione reiicit, & pro virili confutat Herize tract. 3. d. de elect. ad gloriam ante merita præuiſa: quare non, niſi repugnanter eam intentionem efficacem ad prouidentiam in genere, & vniuerſim poteſt admittere (vt non prærequiri oſtendam) locum impugnationes illæ non habent: quia ex inefficaci finis intentione ſcientia de mediis, & modo illum obtinendi, nec quoad ſpeciem ad electionem, & vſum mediorum determinat intendentem: vt imperium, vero aliquo ſenſu dici poſſit.

10. Item cum ex intentione efficaci finis, & mediorum ſcientia ad electionem, & vſum ipſorum, ſaltem quoad ſpeciem determinat intendentem, ea determinatio à ſcientia illa mediorum formaliter non eſt, ſed ab intentione illa efficaci determinante intellectum ad inquiſitionem mediorum, eiſque adinuentis, ac propoſitis voluntatem ad illorum electionem & vſum. Eis quippe adinuentis, & oportunis iudicatis, ſi per impoſſibile Deus, & per poſſibile homo intentione illa efficaci abſiſteret, idem ipſum iudicium de mediis, & modo, quo præintentus efficaciter finis ille obtineretur, ad eorum electionem, & vſum nequaquam intendentis voluntatem determinaret: quare, nec illud imperium abſolutè, neque ex ſuppoſitione intentionis efficaci finis dici proprie poteſt: cum intentio efficax ſola & conſultationis, & hac ſuppoſita electionis, & vſus determinatio, & imperium ſit. Melius ergo ſententia hæc prima de eſſentia prouidentiæ in ſcientia dirigente voluntatem, eiuſque actum connotante defenditur ab aliquibus ex citatis, expreſſéque à noſtro Herize cap. 4. num. 36. qui intentionem efficacem finis, nec prærequirit ibi, nec poteſt, niſi repugnanter, ad prouidentiam prærequirere, vt proximè oſtendimus. Præpoſitus, & Faſolus (qui & intentionis connotatum addit) per connotationem ad actum voluntatis, quem dirigit, electionis, & vſus ſtatuunt prouidentiam, id quod & in ſancto Thoma & in Doctoribus aliquot citandis pro ſententia tertia (præſertim in noſtro Molina locis ibidem citandis) multum fundamenti habet, quare & hic ſecundus, & commodior primæ ſententiæ modus poteſt recenſeri per connotationem ad actum diuinæ voluntatis non quidem prærequiſitæ intentionis, quem ſatis diſieci-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mus , ſed directæ electionibus & ſubſequutæ , qui modus non ita facile impugnabitur , niſi oſtendendo cum à terria ſententia nullatenus : ſed voce tenus ſolummodo differre , vt certamine tertio oſtendemus.

11. Secunda ſententia docet , prouidentiam in actu voluntatis Dei eligendi , & diſponendi media ad finem adæquatè eſſentialiter conſiſtere , præſuppoſita , ſeu connotata ſcientia ipſum dirigente , quam vel ſimplicis intelligentiæ pro naturalibus effectibus , vel mediam pro contingentibus . & liberis eſſe docuimus. Extant ſententiæ huius Patroni Scotus cum ſuis in prima d.40. quæſtione prima init. ( vbi Sanctus Bonauentura articulo primo , quæſtione ſecunda , & in tertia d. 7. quæſtione tertia d. 17. articulo primo , quæſtione prima , ad 3. ) Gregorius d.40. quæſtione prima , articulo primo. Henricus quodlib. quarto , quæſtione decimanona. Cameracenſ. apud Gabriel. ſupra : Echiuſ. de prædeſtinatione centur. 1. numero decimoſeptimo, apud Soarem d.87. capite tertio , Soar. primo de eſſentia prædeſtinationis capite 16. & 17. qui eam ſequitur , ſicuti & Vaſquez prima parte , d. 81. capite ſecundo fine, iuncta diſput. 87. capite tertio , in eamque ſententiam venit tandem Leſſius de prædeſtinatione ſectione ſecunda , §. 1. fine. Henriquez prima parte , tractatu tertio , d. 22. capite ſexto , numero 51. capite ſeptimo , numero 57. & 58. Argentina in primo d. 40. quæſtione prima , articulo ſecundo. Arrubal prima parte , quæſtione 22. articulo primo , d. 63. capite tertio. Acort. libro primo , capite 29. quæſtione ſecunda. Denique Doctores omnes qui imperium ( maxime monaſticum , & eiuſdem ad ſe ipſum ) voluntatis ſolius actum eſſe volunt , non autem intellectus. Huic ſententiæ fauent præter datos citatis locis Vaſquez rurſus 1. 2. d. 49. capite quarto. Suarez iterum d 19 metaph. ſectione ſexta & ſeptima. Molina citandus. Maior in tertio d. 33. quæſtione ſeptima de prudentia. Alma in tractatu tertio , Moral. capite ſecundo. Okam in tertia quæſtione 12. articulo quarto , conclusione tertia , iterum Henricus quodlib. 9. quæſtione ſexta. Hangeſtus capite primo , Moralium §. tertio , corollar. tertio , Caſtro primo de lege pœnal. capite primo & ſecundo. Ioannes Medina de grat. capite ſecundo , & valde probabile reputat Arriaga noſter de prouidentia d. 32. ſectione prima , concluſione ſecunda , numero vndecimo , ſed in hac ſententia duplex modus etiam eſſe poterat. Primus qui nullam aliam connotationem ſcientiæ requirat in actu voluntatis diuinæ , vt prouidentia ſit quam intrinſecam dependentiam eius à ſcientia quæ ipſi debet prælucere , vt dirigatur , ducaturque in obiectum voluntas & hoc modo ſcientia non magis ſiue in recto ſiue in obliquo conſtitutioni eſſentiali prouidentiæ cum actu voluntatis inſeruiet quàm voluntas ipſa , quæ eſſentiale ſui actus principium & cauſa eſt : quare ſolum ſupponetur ad prouidentiam ſicuti ad actum voluntatis , qui ſeipſo & eſſentialiter eum habet repectum , & connotationem ad ſua principia neceſſaria , & eſſentialiter præſuppoſita , ac præ requiſita. Hoc modo ſentire videntur , qui in actu voluntatis prouidentiam conſtituunt , quia in actu voluntatis , non autem intellectus imperium adæquate ſit , atque in imperio ſit prouidentia conſtituenda. Secundus modus vltra hanc connotationem ſcientiæ præſuppoſitæ actui voluntatis eligentis , & diſponentis media ad finem intrinſecum , & eſſentialem , aliam connotationem ſcientiæ actui ſecundum ſe accidentariam , eiuſque eſſentiæ adſcititiam , & quaſi extrinſecam ; prouidentiæ vero , & ipſi actui voluntatis , vt prouidentiam conſtituat eſſentialem addere videntur. Alterutriuſmodi Patronos ex citatis ad purum haud facile diſcernes : nam , cum hanc ſententiam probant media vtriuſque probandi miſcent.

12. Tertia ſententia docet prouidentiam ex æquo ex ſcientia præuia , & directiua electionis mediorum in finem rebus prouiſis à Deo conſtitutum , & electione ipſa , tanquam eſſentialibus partibus conflari æque conſtitui , ſic cenſent Alexander Alenſ. part 1. q 26. de Prouid. & prædeſt. m.2. quæſtione 28. m. 1. articulo ſecundo & tertio. Albertus prima parte , tractatu 17. quæſtione 67. membr. primo corpor. Marſilius citatus numero ſeptimo. Petrus Tarantaſia apud Soarium citatum numero decimo. Rogerius , & Petrus de Aquila apud Aquar. addit. ad Capreolum in primo d. 40. & rurſus controuerſia de prædeſtinatione , Molina prima parte , quæſtione 22. articulo primo , d. 1. §. *Quod ſi petas* , quæſtione 23. d. 2. §. *ſtatuenda eſt nihilominus*. Tametſi pro prima ſententia à nonnullis referatur Herize tractatu tertio , d. 22. capite ſexto. Arriaga de prouidentia d. 32. ſectione prima , numero decimoſeptimo , concluſione tertia , quibus adde ſcholaſticos , qui prouidentiam modo in præſcientia , ſeu actu intellectus diuini , modo in electione , ſiue actu voluntatis videntur varie , & inconſtanter collocare. Hi verò ſunt Magiſter in prima d. 35. ſub initio , & articulo 40. capite primo , & vltimo. Altiſiodorus prima ſummæ capite nono , quæſtione prima & ſecunda , & capite 10. nec non Sanctus Thomas variis locis certamine tertio ſubiiciendis. Hac enim varietate firmum iudicium , æque ſcilicet vtrumque actum , nec potius vnum quam alium ad prouidentiam ſpectare , oſtendunt non obſcurè : quod ipſum ex varietate Patrum ſimile argumentum pro hac ſententia inſtruetur certamine quinto apertior pro hac ſententia ſtat Sanctus Thomas quæſtione quinta de veritate articulo primo , & in primo d. 40. quæſtione ſecunda. Denique eandem ſententiam docuit Magnus Magiſter meus Didacus Daza manuſcripto de prouidentia d. 1. paragrapho ſexto.

13. Quarta ſententia in actu intellectus , enumeratis , hiſce poſteriore , qui imperium ſit , pro electionis mediorum , & ordinationis rerum à Deo in ſuum cuiuſque finem præſcriptum , vel potentiæ diuinæ monaſtice , vel rebus ipſis prouiſis ciuiliter , & politicè intimetur , ſiue imperatiuo , nec aſſertiuo iudicio , ſiue iudicio aſſertiuo , iuxta modos diuerſos explicandi intellectuale hoc imperium à nobis notatos numero quinto , & deſignandi terminum , cui ſeu , ad quem dirigatur , feraturque , & intimetur imperium eiuſmodi quo ſuper Doctorum modos diſtinctius examinabimus certamine 2. vt ſine confuſione impugnemus ; examinare verò illos eouſque differimus vitandæ repetitionis gratia , cum ibi ſigillatim ( vt opus erat ) impugnarentur. Tertij vero modi imperij intellectualis ad prouidentiam ab Herize in gratiam ſanct. Thomæ explicati , & admiſſi ſententiam referre omitto : quia , & imperium intellectuale non contineri , & abſolutè & ad hominem oſtendi numero 8. & 9. & in Deo eſſe actum illum , tametſi imperium non ſit , oſtenderam num. 6. Prætereo inſuper Thomiſtarum Dominicanorum ſententiam , qui viſionem , ſeu ſcientiam , aut præſcientiam abſolutam de abſolute futuris , quæ , & Dei decretum , & imperium de abſoluta futuritione conſequitur ad Dei prouidentiam aduocant : quia cenſent eiuſmodi abſolutam præſcientiam futurorum ipſorum cauſam eſſe. Id quod etſi falſum ſit , & falſo principio innitens , omittendum hic eſt : cum principium de cauſalitate abſolutæ præſcientiæ Dei in futura præſcita multa Patrum , & Theologorum eruditione , nec rationum pondere minori , reiecerimus tom. 1. de Deo vno contr. 2. d. 5. q. 8. à cert. 2 per totum : oſtendentes Dei abſolutam præſcientiam futurorum cauſam non eſſe , ſed potius illa ſupponere , aliunde quam ab ipſa præſcientia in ſuo eſſe , & abſoluta exiſtentia pro duratione , pro qua abſolutè erunt ; idque neceſſarium eſſe , vt contingentium futurorum libertas abſoluta cum Dei de ipſis abſoluta præſcientia poſſit conſiſtere.

CERTAM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CERTAMEN II.

*Imperium intellectuale imperatiui modi ordinationis rei in finem per aptorum mediorum à Deo electionem, nec prouidentia eſt, nec illam in Deo conſtituit; immò imperium eſſe nequit.*

1. PRima ſententia prouidentiam Dei actu imperij intellectualis diuini ſtatuens, vel complens eſt eorum qui imperium hoc explicant iuxta primum modum illud explicandi à nobis datum certam. 1. num. 5. vt ſcilicet ſit Dei cognitio, quæ iudicium aſſertiuum non ſit; ſed eis vocibus imperatiui modi reſpondeat *fac hoc*, ſeu æquiualentibus, ſupponatque, & contineat motionem voluntatis ab operante conceptæ. Cuius ſententiæ author extitit S. Antonin. 1. part. titul. 4. cap. 10. init. Capreol. in 1. d. 40. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 1. art. 2. concl. 2. & 3. iuxta ſuam generalem doctrinam de actu imperij in 3. d. 33. art. 2. quæſt 6. ad 3. Sotus 1. de iuſtitia quæſt. 1. concluſione prima, Caietan. prima parte, quæſt. 22. art. 1. & quæſt. 23. art. 1. vbi Bañez, Zumel Nauarrete, Albelda, Nazarius, & reliqui interpretes Dominicani recentiores. Aluarez de auxil. d 17. & lib. 5. d. 35. n. 5. §. *Dicendum eſt*. Hanc vero intellectualis imperij rationem, & explicationem cum vniuerſim tum reſpectu Dei traditam à Sancto Thoma contendunt citati Sancto Antonino poſteriores, cum ex loco 1. 2. à nobis recitato numero 5. tum ex aliis locis 1. part. quæſt 22. & 23. quæ tamen nihil clarius, quam noſtram ſententiam probant, ex ſcripturæ, & Patrum locutionibus proferunt plura, quæ hunc imperij intellectualis modum ſonent, non autem contineant: vt poſt aſſertam ſententiam videbimus. An verò imperium ita explicatum monaſticum ſit, & Dei ad ſeipſum, ſuaſque potentias volitiuam ſcilicet, & extrinſecus actiuam mediorum, quibus ad finem res prouiſæ ordinantur vt Deus mediorum electionem vrgeat, & vſum? an verò politicum ſit imperium, & ciuile ad res, & media ipſa producenda directum? vtrumque videntur docere præfati Doctores: tametſi immediatè ad Deum ipſum, eiuſque potentias dirigi putent, & monaſticum eſſe, indeque ad creata media extendi, quæ illo eſſe iubentur, vel obaudiunt iuxta phraſim in Iobi, & Pſalmorum ac ſapientialium libris vulgatem.

2. Hunc tamen imperij modum Thomiſtarum Dominicanorum & ſequacium noſtri omnes Thomiſtæ Ieſuitæ à Deo rejiciendum validè multis titulis probant, huic modo ſpecialibus, & aliis omni imperio intellectuali diuino (quovis modo explicetur) communibus ex imperij ſuperfluitate, ex creatæ libertatis euerſione, & impoſſibilitate eius ad quem dirigatur hoc imperium intellectuale: quas communes impugnationes poſtremo loco vrgebimus, ac perſequemur, dum à capite contra quodvis imperium intellectuale diuinum quovis modo explicatum pugnabimus. Nunc quod ſpeciale modi huius imperij eſt confutandum erit. Et primum eo quod actum intellectus, quod iudicium non ſit de re facienda, adſtruat, & ſolum verbali externo huic imperio *fac hoc* reſpondeat. Etenim & hæc cognitio in nobis imperium non eſt; ſed ſolum per extrinſeca illa verba immediatè orta ab efficaci voluntate intimandi aliis voluntatem Principis, aut ſuperioris, de iis, quæ à ſubditis fieri vult, è ſua iuriſdictionis poteſtate, ſignificatur ſubditis voluntas Principis de iis quæ ab his ex ea iuriſdictionis poteſtate fieri decernit: ad quod vltra conceptam ab illo voluntatem ex ſuæ iuriſdictionis poteſtate iudicium eius enunciatiuum, & aſſertiuum præconceptæ illius voluntatis ſuæ præcedit, & aliud de conuenientia eam intimandi ſubditis & verbis illis imperatiui modi, quibus poſſit ac debeat ſubditis intimari, vt obſequi teneantur: nec quid aliud cognitionis cuius intimatio & imago verba illa imperatiui modi ſint intercedit vt ſuperioris voluntas intimandi aliam ſuam ex poteſtate iuriſdictioneque habitam ſubditis ſuis, atque vt ſufficienter & abunde, vt exequi illam teneantur, intimetur. Confirmatur: quia; quod externo illo, & verbali imperio intimatur ſubdito eſt imperium Superioris interius de re: atqui, etſi plura iudicia, cognitiones ſuperioris imperium illud externum verbale præcedant, nulla ex enumeratis, immò nec internus actus ille, quem fingis externo imperio formaliter reſpondens, intimatur; Sed ſola voluntas ſuperioris habita ex poteſtate iuriſdictionis: ergo hæc ſola imperium internum eſt non actus ille quem fingis. Antecedens probatur primò: quia ſubditi omnes, quibus externè verbis illis ſuperioris imperium internum intimatur, voluntatem ſuperioris nobis intimari dicimus, ac cenſemus, eique obſequi, vel repugnare, cum iuſſa vel exequimur, vel omittimus, nemo autem dicit ſibi aliquam cognitionem ſuperioris intimari, neque ex eo, quod iubentis cognitioni alicui, immò & dictamini rationis, ex quo voluntatem intimatam ſuperior concepit, vt hoc vel illud ſubditus agat aduerſetur, dummodo iuſſa capeſſat, quia ita ſuperior vult, debitæ obedientiæ adhuc formali, deficiet, tametſi ad obedientiæ ſuauitatem, facilitatem, ac ſubinde perpetuitatem debitamque erga ſuperiorem reuerentiam ea ſubditi cum dictamine ſuperioris concordia valde conducat, & quaſi reductiuè, & circumſtanter ad obedientiæ perfectionem ſpectet.

3. Inde confirmo: id, quod nemo hominum præcipientium experitur, curatve intimare, vt interius ſuum imperium alteri intimet, nec ſubditorum aliquis inquirit, immò nec percipit, vt imperium internum ſuperioris ad ipſum directum recognoſcat procul dubio imperium ſuperioris internum non eſt: atqui nullus præcipientium ſuperiorum experitur, cum internum ſuum imperium vult ſubditis intimare, velle ſe intimare orationem illam mentalem formaliter reſpondentem verbis externis imperatiui modi *fac hoc*, ſed ſolum voluntatem ſuam abſolutè talem, & ſeriam ex poteſtate iuriſdictionis, vt ſubditi in hac vel illa materia hoc vel illud faciant; nec ſubditi curant ſcire, an ipſis de imperio illo intellectuali ſatis conſtet per exterius imperium; ſed an conſtet ſibi de abſoluta illa voluntate ſeria ſuperioris, vt hoc vel illud in hac vel illa materia agant: ergo hæc ſola ſuperioris voluntas interius imperium, eiuſve completiuum eſt: non autem illa mentalis oratio vocali imperatiui modi formaliter reſpondens. Confirmo vlterius: quia, & reges, & ſubditi etiam eius præceptum decretum Regis idcircò appellant: quia ea voce ſeria eius voluntas abſoluta de re agenda à ſubditis propriè, & ſolum ſignificatur. Confirmo vlterius: quia, vt ſciamus an leges, & præcepta eiſdem vocibus imperatiui modi intimata obligent, vel ſecus, hic, & nunc: frequenter an finis legis & præcipientis in ea ferenda hic, & nunc, ceſſet, inquirimus: cum ex huius defectu ſolum poſſit ceſſare, ſiue non eſſe, aut fuiſſe pro, hic, & nunc, ſuperioris voluntas, non autem oratio illa mentalis modi imperatiui. Cum autem ſtante moraliter per non retractationem imperio interno ſemel à ſuperiore habito, eiuſque intimatione per extrinſecum imperium, quod retractatum non eſt, adſit certo obligatio: ergo vel imperium internum non ſtat in oratione illa mentali modi imperatiui, ſed in ſola abſoluta ſeriaque ſuperioris voluntate, vel omnes Theologi (etiam hi, quos impugnamus) vane conſumimur, inquirendo, ceſſetne hic, & nunc finis legis, & imperij interni ſuperioris, vt rem licite agi, vel omitti indicemus: cum ex finis defectu non quidem internum ſuperioris imperium, quod in mentali illa oratione ſitum eſt, deficiat pro hic, & nunc per aduerſarios, ſed ſola voluntas legiſlatoris, quæ internum imperium ſuperioris non fuit. Similiter inutilis & inepti damnat imperium hoc omnium Theologorum laborem, qui ex variis adiunctis, & circumſtantiis an ſeria fuerit ſuperioris voluntas de hoc vel illo agendo, vt ſubditis obligationem conſulant, vel ab illa eos excuſent venantur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4. Venio ad communem impugnationem imperij huius interni modi imperatiui, ex eo, quod intellectus eſſentia ſua tendat in verum, ſaltem apparens, ac proinde in iudicium, & diſcurſum & neceſſariam ad hæc apprehenſionem obiecti adæquatè eius actus diuidantur: quare, & nequeat eſſe actus intellectus, qui, vel apprehenſio, vel iudicium, vel diſcurſus non ſit extra hos omnes actus actum intellectualis imperij ponere videntur eius Patroni: ſiquidem reſpondent intellectum vt ſpeculatiuum eos ſolum actus habere poſſe, ſecus vt præceptiuum. Verum *ſi præceptiuum* accipiant ſeparatim à practici ratione, & iuxta modum, quo intellectus imperium eſſe volunt, petunt ſolutione iſta principium: ſiquidem ex prædicato eſſentiali intellectus, & hactenus cognita in Philoſophia ſphæra tota actuum, ad quos edendos potentia eſt, oſtenditur apertè actus qui extra tres enumeratos ſint, intellectus actus eſſe non poſſe: quare nec poſſe eſſe intellectum eo modo præceptiuum. Si autem *præceptiuum pro practico* vſurpant: cæteri actus practici intellectus, intra tres illos continentur, neque vllus extra illos intellectus, qua practici, actus hactenus ab aliquo excogitatus eſt: immò neque extra actum iudicij: vt patet in arte, prudentia & cæteris virtutibus intellectualibus, earumque actibus. Quare, ſi actum hunc ſuum intellectualis imperij ex practicis eſſe aduerſarij velint, ad aliquem è tribus enumeratis debent illum reducere: ne omnium ſententia à practicis intellectu, & actu, æque ac ab ſpeculatiuis, ac ſubinde ab omnibus intellectus actibus, exulet. Quod ſi ad ſimplicem apprehenſionem illud intellectuale imperium reducere malint, Opponit Ruiz d.3.ſect.3.num.3.& 4. ſimplicem apprehenſionem omnem ad iudicium præcedere debere: atque in re præſente ad iudicium de re, & modo, quo, vel facienda recte eſt, vel fieri recte poteſt, & voluntatem inſuper imperantis ſuperioris, vt ita fiat à ſubditis præcedit, hoc autem intellectuale imperium poſt hanc voluntatem imperantis eſt: quare nec ſimplex apprehenſio eſſe poteſt. Secundo, quia ſimplex illa apprehenſio indifferens eſt ad res prouiſas, & ordinatas in finem per talia media, & ad non prouiſas, neque ordinatas, multóque magis quam iudicium quod ipſam ſequitur, ac voluntatem Dei ordinandi res in ſuum finem per media accommoda antecedit: & tamen iudicium hoc actus prouiſis, & non prouiſis prædeſtinatis ac non prædeſtinatis à Deo indifferens eſt vt patet: atqui prouidentia determinata ordinatio rerum prouiſarum determinatè in ſuos fines eſſe debet: immò & imperium quodvis determinationem de re aliqua determinatè eſt. Ergò ſimplex apprehenſio interna modi imperatiui, nec imperium internum præcipientis, aut prouidentis alicuius eſſe poteſt, neque prouidentia, maxime prouidentia Dei cuius ſcientia & cognitio omnium vniſſima, & ſimpliciſſima, etiam metaphyſicè ſcientia Dei, & omniſcientia eſt. Poſtremæ impugnationi ad quæſtionem præſentem Ruiz, Herize, & reliqui noſtri contra hunc imperij modum in primis inſiſtunt, & fidunt.

5. Cæterùm contra eos, qui imperium hoc intellectuale modi imperatiui mentalis defendere velint, admittentes ad ſimplicem apprehenſionem pertinere etiam in Deo oppoſitiones non nimis vrgent. Neque enim admittent apprehenſionem hanc imperatiuam iudicio de re, & modo, quo res fieri debeat, & voluntatis de re ita facienda directiuo præcedere & inſeruire; ſed eſſe imperatiuam apprehenſionem, & de re ita facienda iuxta eius voluntatis, & decreti, quod talis apprehenſio ſupponit præſcriptum. Quo duæ primæ impugnationes quieſcunt: nec medium, quoad iudicium illud directiuum voluntatis debere præcedere probetur: ad manum erit: immò nec vt probetur apprehenſionem omnem iudicio alicui apprehendentis præcedere, & inſeruire debere, maxime, ſi apprehenſio directiua alterius, & ad alterum imperatiua ſolummodo ſit: quem ſatis eſt ad iudicium de debito iuſſa præſtandi ex eius imperij intimatione moueri. Sed & iudicio alicui præcipientis, & imperantis apprehenſionem illam imperatiuá inſeruire poſſe dicent: nimirum iudicio de exiſtentia ſua, vti omnes apprehenſiones inſeruiunt, quæ ſui ipſarum formales etiam ex parte obiecti propoſitiones ſunt: Inde conſtat apprehenſionem hanc ſimplicem intellectualem imperatiuam indifferentem, & communem rebus prouiſis prædeſtinatis, ac non prædeſtinatis non eſſe, vti de apprehenſione inſeruiente iudicio directiuo voluntatis de mediis, & ordinatione rei prouiſæ in ſuum finem rectè probatur. Etenim intellectuale hoc imperium voluntatem determinatam ordinandi hanc rem determinatè, & per media hæc determinata ſupponit, & iuxta ordinem determinatum de re, & mediis illi ab ea voluntate præſcriptum, de re & mediis illis imperat determinatè, non autem de rebus aliis à Deo, nec præuiſis, nec prædeſtinatis. Illud de ſcientia Dei, quæ re ipſa: immò, & metaphyſicè, inſectilis, & vniſſima iudicium eſt, non eſt, quo minus ſit etiam ſuorum obiectorum apprehenſio: qua ſublata ratione iudicium, ne in Deo quidem, eſſe poſſet. Quod ſi ratio apprehenſionis Dei ſcientiæ non repugnat, neque hæc imperatiua repugnabit, niſi ob proximè debilitatas, vel eluſas rationes. Et quidem hanc imperatiuam apprehenſionem ſuadere aduerſarij poſſent ex illa probabili opinione: quod voces, & orationes vocales, mentales ſimiles, quarum imagines ſubſtitutæ ſunt, ſignificent primò, & repreſentent, non obiecta: quare oportet imperio, ſeu imperatiui modi intimationi externæ, imperium ſimile internum reſpondere, vt prototypum, quod imitetur.

6. Video tamen hæc omnia falſa eſſe. Nam, etſi verbalis oratio, mentalis imago & repræſentatio ſit, nequit eam ad placitum ſignificare, & pro illa, vt ſignificato ſuo ſubſtitui. Sed pro obiecto eodem, quod mentalis oratio mentaliter repreſentat. Primò: quia, ſi mentalem ſignificaret, pro eaque vt primo & primario ſignificato ſubſtitueretur, eius formalis imago non eſſet: nam illa eſſentia ſua formalis repræſentatio, & ſignificatio obiecti ſui, vt primarij ſignificati ſui eſt. Ergo eius, qua repræſentatiua, & ſignificatiua mentalis eſt, vocalis imago, eiuſdem obiecti, tanquam primarij ſignificati ſui repræſentatio, & ſignificatio vocalis eſſe debet; alias, etſi mentalis orationis, vt obiecti primo ſignificati imago foret; non tamen ſecundaria, & ſubſtituens pro mentali oratione eſſet, ſed æquè primaria, ac mentalis oratio primaria ſui obiecti repræſentatio eſſet: vt ergo mentalis ſubſtituat, oportet, vt obiectum ipſum quod illa intimat, & ſignificat menti, ſenſibili modo intimet vocalis oratio, & repreſentet, vt vtriuſque repræſentatio ſimilis ſit, ac non diſſimilis, & diffomis; nempe ſui, & diuerſi obiecti ab obiecto alterius formalis & expreſſæ repræſentationis: ergò vt euenit in prototypo Cæſaris, eiuſque tranſumpto, vt nequeat hoc prototypo ſimilis eſſe, ni Cæſarem ſeipſo immediatè, ſicut prototypus, repræſentet, quin immediatè prototypum, & per illum repræſentet Cæſarem, eumque ſenſibus proponat, ac ſignificet: ita prorſus in oratione mentali, & vocali euenit. Accedit: quod, ſi vocalis mentalem, vt obiectum ſignificaret: non minus intimarentur nobis mentales actus orationibus vocalibus, quam obiecta: cuius oppoſitum experimur. Iam ergo obiectum creationis imperatiuæ illius apprehenſionis ſat ſecum deſignare oportebit, & idem ipſum, quod imperij vocalis imperatiui modi obiectum ſit: & quod apprehenſionem imperatiuam, vti eius obiectum natura, vel quaſi natura præcedat: certe nullum aliud præcedit niſi voluntas ſeria, & abſoluta præcipientis, quæ, vt abſolutè exiſtens nullatenus imperatiuo modo percipitur, neque imperio opus habet, vt fiat, cum ſupponatur. At opus, vt poſſibile? certè eius apprehenſio, & iudicium præceſſit natura voluntatem ſeriam, & abſolutam de opere faciendo, & cum illa perſiſtit: nec erga poſſibilitatem apprehenſio imperatiua, vt ipſa ſit, eſſe poteſt, cum ſupponatur rei poſſibilitas, cum apprehenditur.

7. Dices apprehenſionem illam imperari ab apprehenſione illa poſſibilitatis, & voluntatis ſeriæ de eorum abſoluta exiſtentia, vt abſolute fiant, & exiſtant, Bene: ergo apprehenſio illa imperatiua attingit, & apprehendit rei poſſibilis abſolutam exiſtentiam: ergo eam non imperat vt ſit, & abſolute exiſtat, ſed factam & abſolutè exiſtentem ſupponit à voluntate efficaci, nullo apprehenſionis huiuſmodi interuentu: quare nec actiua illius eſſe vllo modo poteſt: nihil enim actiuum eſſe poteſt eius, quod natura ſua factum ſupponit,

ponit, neque imperare faciendum abſolutè, ſiue vt abſolutè fiat: quare, niſi aſſeras ita imperatam rem apprehenſione illa imperatiua, vt terminum apponendum tangi, non autem vt obiectum apprehenſum, nil eſt quod reſpondeas; id autem eſt aſſerere poſſe dari actum intellectus circa aliquid, cuius, nec iudicium, nec diſcurſus, nec apprehenſio ſit, eſſeque actum præceptiuum, non autem intellectiuum: quod apertè repugnat vt vidimus num. 4. & hac ſolutione vitari contenditur. Hæc apprehenſionem imperatiuam monaſtico imperio, ſiue eiuſdem imperantis ad ſeipſum, ſuaſque potentias, ſiue volitiuam, ſiue actiuè executricem rei ab imperante ipſo exequendæ apertè confutant apprehenſionem eſſe illam poſſe ex obiecti impoſſibilitate: vt, vel inde, modus hic monaſtice imperandi ſatis reiiciendus ſit, vt impoſſibilis, etſi plura alia eius reiiciendi capita ſubiicienda deeſſent. Iam verò modus hic imperatiuæ apprehenſionis imperio politico, & ciuili ad alterum, qui rem executurus ſit, directo facile reiicitur. Primò: quia cum interni imperij mentalis modus iſte, non aliis, ſed imperanti ipſi apprehenſiuè, & interius intimet *fac hoc*: implicatorius, & ineptiſſimus erit, nec idem habebit obiectum cum obiecto imperij, ſeu intimationis externæ oratione vocali imperatiui modi *fac hoc*, ſubdito executuro faciendæ eſt implicatorius: quia imperanti interius intimabit, vt faciat, quod non ab ipſò, ſed ab alio fieri imperat: inde etiam probatur ineptiſſimus, æque, atque intimare Ioanni, vt faciat, quod à Petro præcipis fieri. Neque idem habebit obiectum apprehenſio interna præcipientis modi imperatiui cum verbali externa modi eiuſdem interna: ſiquidem actionem imperat præcipientis ipſi præcipienti, externa verbalis actionem ſubditi ſubdito imperat. Vnde diuerſum obiectum altera ab alterius obiecto ſignificat, intimat, ac repræſentat: quare nec altera externæ internæ ſubſtituitur, nec idem obiectum ſignificat, ac repræſentat, vt neceſſarium eſſe oſtendebamus nuper.

8. Quod ſi dicas: imperium internum non formaliter imperatiui modi eſſe, & reſpondens ad verbum vocali imperio *fac hoc*; ſed æquiualenter ſolum: vt internum imperium præcipientis ſit huic propoſitioni externæ ad verbum formaliter reſpondens: *hoc faciendum eſt à ſubditis*: vel huic: *volo seriò vt ſubditi hoc faciant*. Quod quidem verbali illa oratione modi imperatiui aptè ſubditis intimatur. Primò: ſi illa prima oratio, *hoc faciendum eſt à ſubditis*, valeat tantundem atque *faciant hoc ſubditi*, vel *à ſubditis hoc fiat*, quo pacto oratio imperfecta, ac non aſſertiua eſt, imperatiuoque æquiualet factis impugnationibus omnibus patet. Si autem aſſertiua ſumatur, atque ſecundæ, *volo vt ſubditi hoc faciant*, æquiualeat: tuum plane modum imperij intellectualis præcipientis non aſſertiuo, ſed imperatiuo modo, quem hactenus impugnauimus, deſeris: & incidis in modum imperij intellectualis ſecundum à noſtro Ruiz excogitatum, vt in eo prouidentiam, eiuſque complementum conſtitueret: ſecundò proindè eius ſubiaces impugnationibus iam ſubiiciendis. Tertiò, nec monaſticum imperium, ſiue præcipientis ad ſeipſum eſſe poterit, vt huius imperij Patroni volebant. Id quod vniuerſim de imperio intellectuali interno quovis modo explicetur: poſtremo loco oſtendemus. Quartò vlterius nec poterit eſſe ciuile, & politicum vt iamiam contra Ruiz oſtendo. Porrò qui hactenus efformata argumenta æqua lance, & iudicio perpendit, ac ea, quæ deinceps contra quodvis intellectuale imperium producemus, ac nuper pollicebamur, legat attentè, & meditetur, deprehendet, quàm immeritò Sotus vbi ſupra ægre ferat, fueritque conqueſtus: quod ſua hæc ſententia de imperio intellectuali interno imperatiui modi *parùm conſideratè*, à quibuſdam impugnetur; cum tamen ex prædicato intellectualis, & ex prædicato non aſſertiui: ſed imperatiui modi ſui grauiſſimis difficultatibus, nec hactenus expeditis ab ipſo, eiuſque ſequacibus paucis, ſit modus iſte imperio obnoxius; nec vnam tantum repugnantiam deuoluat: de prædicato *modi imperatiui* hactenus oſtendimus, & de prædicato *intellectualis* deinceps monſtrabimus: idcircò à modi *huius* euulgatione communiter à reliquis Theologis vtroque ex capite refellitur à Molina 1. part. quæſt. 23. art. 1. & 2. d. 2. §. *Hac tamen ſententia*. Vaſquez 1. 2. d. 49. cap. 3. num. 14. & locis citatis in 1. part. Suarez d. 19. metaphyſ. ſect. 6. num. 8. ſect. 7. num. 12. & 13. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 6. d. 2. Etſi falſo pro oppoſito ab vno, vel altero referatur. Azore tom 1. libro 1. cap. 29. quæſt. 2. Fonſeca 9. metaph. cap. 2. q. 6. ſect. 2. de eſſent. prædeſtinat. cap. 16. num. 8. & 1. de legibus cap. 5. Leſſius 1. de prouidentia c. 1. dub. 3. & 14. Luis Torreſ. 1. 2. d. 99. dub. 5. quos refert Herize tract. 3. d. 22. c. 4. num. 29. ac ipſe ſequitur: licet ſcientiam de mediis electionis, & vſus voluntatis directum imperium intellectuale immeritò, vt vidimus, appellet: Mordicus enim imperium intellectuale ad electionem mediorum, ſiue voluntatem Dei ordinandi rem prouiſam per talia media in finem impugnat, eiuſque fundamenta conuellit ab eo num. 29. ad 34. incluſiuè. Adde modi huius imperij impugnatores Doctores omnes citatos pro tribus ſententiis relatis certam. 1. præſertim non admodum antiquos, ipſo tamen vetuſtiores. Quibus adde etiam ipſo nouiores pro eiſdem ſententiis à nobis relatis, & noſtrum Ruiz de Montoya huiuſmodi intellectualis imperij validum oppugnatorem d. 3. ſect. 7.

## CERTAMEN III.

### *Intellectuale imperium aſſertiuum de præſenti à noſtro Ruiz excogitatum, & fundatum reijcitur.*

1. VErum Ruiz ipſe ea ſect. 7. à num. 7. & tota ſect. 9. imperium intellectuale de extrinſecus faciendis admiſit, non quidem oratione mentali modi imperatiui; ſed modi indicatiui, & enunciatiui: quæ, nimirum, perfecta oratio, ſeu propoſitio de præſenti aſſertiua ſit voluntatis diuinæ de re aliqua in finem præſcriptum ordinanda per talia media, v. g. *volo Petrum ad beatitudinem per talia media perducere*: quod iudicium & imperium intellectuale, & prouidentia eiuſve complementum ſit, atque exterius oratione illa imperatiui modi, *fac hoc*: vel *hoc tibi faciendum eſt* (ſi res cui prouidetur rationalis ſit) intimetur, & quatenus partium ſuarum eſt operationem ad finem ex parte creaturæ rationalis, & libere etiam ponendam, debita eius libertati ſuauitate, & temperatura, in creatura illa Deus efficiat. Id tantum voluiſſe S. Thom. locis omnibus citatis hactenus, & Thomiſtas reliquos veteres pro imperio intellectuali imperatiui modi contendit ſect. 7. à num. 8. ſolum enim aiunt imperium internum (ſiue creatum, ſiue diuinum) non poſſe externè vocibus vt percipientis imperium creaturis intimari; niſi oratione externa verbi, & modi imperatiui. Atque hanc eſſe ſcripruræ, Chryſoſtomi, Dionyſij & aliorum Patrum mentem probat: inſuper ex ratione practici, & determinationis, in ſcientia, quæ imperium, prouidentia, vel adæquatè, vel inadæquatè & completiuè ſit requiſitæ, quæ ſcientiæ directiuæ voluntatis diuinæ electionem mediorum, quibus ad finem præſtitum res prouiſa ordinatur, deficere contendit: vt referemus, cum eius, & ab authoritate, & à ratione fundamenta diluemus. Reſpectu vero cuius imperium hoc enunciatiuum, & aſſertiuum ſit, & ad quem dirigatur, an ad Deum ipſum eo imperantem monaſticè; an ad creaturaturas politice, & ciuiliter? ſtatuit primò tota ſect. 8. nullum imperium intellectuale, & rationis (ac ſubinde neque hoc ſuum aſſertiuum, & enunciatiuum voluntatis diuinæ de præſenti) poſſe eſſe monaſticum ad Dei voluntatem mouendam, vt volitionem rei faciendæ concipiat, & vrgeat; ſibi autem loqui Deum ait, & Dei ad ſeipſum imperium illud eſſe, quatenus voluntatem, & potentiam Dei executricem (ſiue ea formaliter diuina voluntas ſit, aut omnipotentiæ attributum ab illa formaliter diuerſum) dirigit, vt determinatè, ac non cæco modo exequatur opus faciendum, ſi iudicium ſolum de eo, vt poſſibili, ac non de faciendo determinatè applicationem voluntatis & omnipotentiæ

potentiæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

potentiæ ad operis executionem antecedat: vt ait certamine 9. concluſione 4. à num. 8. ſect. 10. à num. 7. ad 6. argumentum ſect. 11. num. 1. 2. 5. & 6. in quorum 2. & 6. ac deinceps docet: intellectuale hoc iudicium, quod Deo locutio, & aſſertio ſola ipſius eſt, non imperium, reſpectu creaturarum ex eo dictamine faciendarum, ſiue à Deo ſolo, ſiue à Deo, & cauſis ſecundis imperium ipſis phyſicum eſſe, ad modum ciuilis, politici, & moralis, quod ad alios ab imperante dirigitur: non autem morale ciuile, & politicum propriè: quia hoc, cum per rationem intimandum ſit, ad ſolas creaturas rationales dirigi poteſt: imperium autem phyſicum intellectuali intimatione opus non habet, ſed ſola determinatione, & neceſſitate phyſica, quam ita imperatis, & prouiſis affert, vt ſint, & operentur iuxta eiuſmodi imperium aſſertiuum, & prouidentiam.

2. Hæc totius cogitationis noſtri Ruiz & fundamentorum, quibus eam adſtruere, atque ab oppoſitionibus contra intellectuale imperium & vniuerſim, & diuinum vindicare tribus, & dimidia ſectionibus totis, & fuſis, contendit, breuis, & dilucida ſumma eſt: in ea tamen falſa plura, & implicantia eſſe videntur: ſolumque excogitata, vt difficultates grauiſſimæ contra intellectuale imperium ab anterioribus propoſitæ eluderentur, atque illud, tanquam prouidentia eiuſve complementum in S. Thomæ gratiam (qui tamen ab illo abfuit longè) defenderetur: cum nihil in eis, præterea inueniatur quod huiuſmodi imperium verò ſimiliter ſuadeat, vt ex ſubiiciendis conſtabit. Et primo, eludendis ſolum difficultatibus excogitata omnia fuiſſe, earum propoſitione, & doctrinæ huius ad illarum eluſionem, atque occupationem applicatione conſtat. Prima ab Aureolo in 1. d. 40. art. 1. opinione 2. acutè perpenſa, quam & nos fusè ſumus perſecuti certam 1. num. 6. Etenim, vt de imperatiua apprehenſione ibi dicebamus, iudicium hoc nequit eſſe cauſa operis abſolutè faciendi, vt fiat eo modo quo facienda eſt: ergò nec imperium, & prouidentia illius. Conſequentia eſt legitima: quia prouidentia debet eſſe cauſa operis faciendi, &, vt fiat eo modo quo facienda eſt omnium (nemine dempto) Philoſòphorum, Patrum, & Theologorum ſententia. Antecedens probatur. Non cauſa: quia ſupponit opus abſolutè faciendum eo modo, quo faciendum eſt: cum ſit eius iudicij obiectum, vt faciendum abſolutè eſt: proindè eſt ipſo poſterius, vt abſolutè faciendum eſt, & fore iudicatur. Reſpondet: cognoſci quidem, non in ſeipſo, vt præſens eſt æternitati Dei; ſed in Dei voluntate de eius effectione, & modo quo efficiendum abſolutè eſt: ſed, vt mittamus præſentiam futurorum in æternitate, in qua re ipſa à Thomiſtis Dominicanis Recentioribus diſſentit (tametſi minus doctis æquiuoce quandoque loquatur) contra primò: quia vt oſtendi tom. 1. de Deo vno controuer. 2. d. 6. nihil Deus in alio, tanquam in medio formali poteſt cognoſcere, maximè futura contingentia in voluntate efficaci de ſe connexa cum rei abſoluta effectione; etiamſi voluntas efficax Dei remotiſſima cauſa, & rei, & modi ſit, vt oſtendi contra Suariſticas præfinitiones controu. 4. de voluntate Dei diſput. 6. de ordine intentionis, & executionis poſſibili in Dei volitionibus, nedum cum immediata cauſa voluntas efficax Dei eſt, vt eſt voluntas prouidentiæ & cauſa eſſentialis æque, atque decretum concurrendi: hic enim militant omnia, quæ ab authoritate, & ratione Ruiz totis ferè quatuor tomis congeſſit, vt ire peſſum contingentium futurorum libertatem oſtenderet, & nos pro intento eodem opportunius diſpoſuimus, & auximus tom. 1. de Deo vno controuerſ. 3. tota d. 1.

3. Secundò: quia vel iudicio hoc de re abſolutè facienda, & futura, ac modo, quo facienda eſt, habito abſolutè in decreto, tantum cognoſcitur decretum, & eſſe intentionale rei præcognitæ poſſibilis, & mediorum ac modi quo facienda eſt poſſibilium, vel vlterius tendit cognitio, & iudicium illud in intrinſecum, & entitatiuum eſſe abſolutum, & rei, & modi ac mediorum, quibus abſolutè facienda eſt; ſicuti voluntas efficax tendit, extenditurque actiuè ad rei, ac modi, mediorumque quibus efficienda eſt, effectionem, & exiſtentiam in ſeipſis ac ſecundum ſuum intrinſecum eſſe abſolutum. Si primum ſolum cognoſcitur res, moduſque eius faciendæ poſſibilis cum denominatione voluntatis efficacis ſimplicem earum ſcientiam ſubſequutæ, quæ rei, & modi ſecundum ſe, & intrinſecè ſumptarum ſtatum præcognitum poſſibilitatis non immutat, nec ea ab illo extrahit; ſed formaliter ſolum facit volita, etſi actiuè pro ſigno naturæ poſteriori in ſe abſolutè exiſtentia faciat: Nec aliud quid præter verba dat illa vulgaris, & captioſa plurium diſtinctio arduis difficultatis Theologicis eludendis, quam eluendis, atque illudendis in diſciplinatis aptior de exiſtentia abſoluta rerum ordine intentionis, & ordine executionis. Rebus quippe vera abſoluta exiſtentia ordine executionis ſolummodo cõuenit: ordine verò intentionis, formaliter loquendo, ſolummodo conuenit rebus extrinſecum ipſis deſiderium, ſiue abſolutè deſiderari. Tertiò detur rebus abſolutum aliquod eſſe intentionale vltra poſſibilitatis ſtatum præcognitum ex voluntate earum efficaci ſubſecuta, quod necdum abſolutum intrinſecum eſſe rerum ſecundum ſe ſit, & attingat: certò illud eſſe, & rei, & modi quo facienda abſolute in ſe erit minimè eſt: ergo de iudicio de illo eſſe intentionali non ſcitur formaliter à Deo abſolutum eſſe, & rei, & modi, quo faciendum eſt; ſed aliud eſſe, & modi, & rei, his ab ea intentione abſolute, & formaliter tributum: ergò ex eo iudicio non procedit Deus ad executionem, & rei, & modi abſolutè faciendæ, ſapiens, ſciensque abſoluti eſſe rei, & modi quo facienda eſt: Patet, nam eſſe illud abſolutum intentionale, quodcunque ſit, & quomodocumque explicueris, non eſt eſſe rei, & modi, quo facienda abſolutè illa eſt: ergo per ſcientiam & iudicium de abſoluto illo eſſe intentionali rei, & modi, nec ſcit, nec iudicat formaliter Deus de abſoluto eſſe rei, & modi faciendi, ſed de alio: ergò per illud iudicium præcisè non exequitur Deus, quod à ſe abſolutè, quoad rem ipſam, & modum faciendum eſſe prænouerit: atqui ad id ſolum ſtatuitur iudicium hoc, & intellectuale imperium (in quo, vel prouidentia, vel eius complementum ſtet) vt non niſi ex iudicio de re, & modo abſolutè à ſe vel ſolo, vel cum cauſa creata faciendis, eiuſque directione ſapiens Deus formaliter, & conſcius opus exequatur: ergo, ſi iudicium illud vltra eſſe illud abſolutum intentionale rei, & modi, quo facienda eſt formaliter à voluntate efficaci eorum ipſis attributum, ad intrinſecum eſſe abſolutum rei, & modi quo facienda eſt, & actiuè à voluntate illa efficaci pro poſteriori naturæ per ipſorum abſolutam executionem tribuendum, ſua repræſentatione, & aſſertione non progrediatur, pertingat, & penetret, non procedit Deus ex ſcientia, iudicio, & dictamine de re facienda, & modo, quo ab ipſo, vel ſolo, vel cum cauſis ſecundis facienda eſt, ad rei & modi abſolutam executionem (quo ſolo titulo, & ratione aſſertiuum hoc imperium in Deo eiuſque prouidentia locum per Doctorem hunc poteſt habere) ſed ex iudicio abſolutæ exiſtentiæ intentionalis, & rei, & modi, quam non facit, & cauſat, ſed ſupponit.

4. Quod ſi abſolutam rei, & modi executionem, & eſſe intrinſecum abſolutum repræſentatiuè, & aſſertiuè iudicio illo intellectualis imperij attingatur, (vt altero dilemmatis membro dicebamus) iudicium, & imperium hoc his natura, vel quaſi natura, poſterius eſt tamen ſi ad illud cognitione voluntatis efficacis, tanquam medio inducatur; quod enim medium iudicandi de re aliqua iudicium de illa natura præcedat euincatque rem illam materiale, & terminatiuum obiectum eſſe, non tollit hanc, qua terminatiuum obiectum eſt, ſui repræſentationi omni præcedere natura debere; ſed tantum non illam ſolum, ſed medium, in quo cognoſcitur natura eius repræſentationem antecedere: generale enim, ac certum eſt illud principium philoſophicum, & in nullo obiecto deficiens: *ex obiecto, & potentia paritur notitia*: maximè, cum notitia de obiecto quantumvis pure materiali, & terminatiuo iudicium eſt, vt in caſu noſtro: ſiquidem in quocunque medio cognoſcatur, & eſſe, aut forè abſolutè iudicetur, huius abſoluti eſſe natura, vel quaſi natura debet apprehenſio præcedere, ne nondum cognito aſſentiamur, & temerè eſſe iudicemus. Denique futura res, faciendaque abſolutè iudicium, ac ſcientiam diuinam de eius abſoluta effectione, & futuritione, natura vel quaſi natura præcedere docet hic Doctor multa, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& accurata eruditione, & Patrum obſeruatione paſſim aſſerentium, *futura non ideo eſſe futura, quia à Deo præſciuntur* (abſoluta vtique futurorum præſcientia) ſed contra potius *idéo à Deo præſciri, quia ſunt futura*. Indéque, & aliis rationum momentis contra Dominicanos Thomiſtas Recentiores probat præſcientiam abſolutam futurorum cauſam, neque eſſe, neque eſſe poſſe: noſtrorumque operam contingentiam, & libertatem cum diuina abſoluta de ipſis præſcientia conciliat, vti nos ex ipſo, & propriis ponderationibus, rationibuſque oſtendimus tom. 1. de Deo vno controuerſia 2. d. 5. quæſt. 8. à certam. 2. quare negare hic author nequit futuris abſolutè, & faciendis naturæ, vel quaſi naturæ prioritatem, & præcedentiam reſpectu ſcientiæ, & iudicij huius diuini (quod imperium, & Dei prouidentiam, eiuſve complementum eſſe voluit) de abſoluto eſſe intrinſeco, & futuritione rei, & modi quo facienda abſoluta eſt: ac ſubinde non poteſt non eiuſmodi iudicio diuino negare erga res prouiſas eorumque abſolutam exiſtentiam, & modum quo faciendæ ſunt cauſalitatem: ac proinde iudicio huic imperij, & prouidentiæ rationem deferre non poteſt, vt contendimus: ni ſuæ, & Patrum doctrinæ, & conſequentiis à ſe ex inſtituto approbatis, confirmatiſque deficiat: quo eodem argumento tentata alia ab eodem Ruiz occupatur ſolutio. Nempè obiecta pure materialia (cuiuſmodi creata omnia ſunt præcedentiam naturæ reſpectu ſcientiæ diuinæ ab ipſis ſecundum ſe totam prorſus independentis habere non poſſe, id ego fateor; aſt cum ipſo, & Patribus nuper memoratis, quaſi naturæ præſuppoſitionem in obiectis creatis reſpectu ſcientiæ de ipſis diuinæ fateor requiri: quatenus, ni in ſe abſolutè eſſent, infinita ſcientia, & formalis de ſe omnium, à nullo pendens, expreſſio & repræſentatio ad abſolutum eſſe earum nec tenderet, neque explicaretur: ſicuti neque immenſitas ad ſpatium, nec æternitas ad tempus, quæ nuſquam, nunquamque forent: & quidem hanc quaſi naturæ cauſalitatem futurorum in præſcientiam, illa, & Patrum locutiones à nobis, & à Ruiz admiſſæ continent.) *Præſciuntur à Deo, quia futura*, non è contra, *quia præſciuntur eſſe futura*.

5. Arguo ſecundo generali illo & antiquo argumento contra intellectuale omne imperium quovis modo explicatum: quia imperium hoc intellectuale neque eſt monaſticum, & eiuſdem imperantis, atque in re præſente Dei ad ſeipſum, nec ciuile, & politicum, nempè ad alium, vel ad alios, atque in re præſente ad creaturas ex ipſo, & iuxta ipſum producendas: ergò non eſt imperium. Quod, niſi alterum è duobus, eſſe nequit. Negatiua pars de imperio intellectuali, & rationis monaſtico probatur (ſecunda enim ne hoc iuſto longius euadat probanda erit certamine ſequenti) Quia neque eſt monaſticum reſpectu voluntatis, ſeu volitionum eius, qui cognoſcit ea intellectuali cognitione, ſiue imperatiui, ſiue enunciatiui modi, & iudicij de præſenti. Primò: quia actus voluntatis imperium proprium, & intrinſecum volituro intellectus non requirunt, nec patiuntur. Non requirunt: quia multi abſque imperio ex arbitrio, & voluntatis libertate (iuxta imperij vtriuſque intellectualis authores) ad vtrumvis plures actus voluntatis debent præcedere ex obiecti indifferenti propoſitione & voluntatis facultate & libertate eliciti. Secundò: quia, ſi ad omnes voluntatis actus imperium requiratur, vel dabitur proceſſus infinitus & actuum voluntatis, & intellectualium imperiorum, vel voluntati auferetur primatus libertatis, & dominium in actiones cæteras eius, in quo eſt, ac tribuetur intellectui; ſi in aliquo eius imperio, ad quod ipſum actus liber voluntatis non applicuerit ſiſtendum ſit: quia, ni ex libertate intellectus liber ſit, ex libertate voluntatis, cuius nullum liberum actum, aut exercitium ſupponit liberum eſſe non poteſt, ac tota actionum noſtrarum libertas peribit: ſiquidem omnium, etiam primi actus voluntatis principium determinans imperium intellectuale erit, quod nec vnde liberum, ſed neceſſarium ſit. Quod ſi imperium hoc intellectuale monaſticum ad omnes voluntatis actiones non requiritur, ſed, vt plures eius actus ſint, ſatis obiecti propoſitione voluntas habeat (vti aduerſariis fatentibus habet, ad nullum intellectuali imperio egere, haud ſegniter concluditur; ſiquidem & ad quemvis aſſignabilem ſola obiecti propoſitione, & facultate voluntatis appetitiua obiecti propoſiti, habere illam, quidquid vt in actum prodeat requiritur, cæterorum actuum exemplo, & ratione demonſtratur.

6. Quod autem, nec imperantis voluntas ad ſuos actus monaſticum intellectuale imperium patiatur, ac proinde, & tale imperium ſit impoſſibile de diuinis volitionibus probat Ruiz ſect. 8. à n. 6. Quia inter actus diuinæ voluntatis, nequit eſſe actus imperans, & imperatus: quare multominus actus imperatus ab imperio intellectus ex inferioritate & ſubiectione (inquit) quam actus imperatus voluntatis dicit reſpectu imperantis, & neceſſaria diſtinctione reali inter vtrumque, quæ actuum diuinorum deſtruat realem identitatem etiam identitatem omnium volitionum, ſiue omni volitionis diuinæ, & alia à nobis diſiecta controu. 4. de volunt. d 6. q. 4. quare poſſibilitate admiſſa volitionis imperantis, & imperatæ in voluntate diuina aliunde probo impoſſibilitatem imperij monaſtici intellectualis reſpectu actus voluntatis, qui ſit imperatus: & primo de actu intellectualis imperij Thomiſtarum recentium Dominicanorum per cognitionem modi imperatiui (*ac hoc* omittenda non eſt facilis Arriagæ noſtri impugnatio, & obſeruatio ex omni grammatica cuiuſvis idiomatis ſit: in nulla enim modi imperatiui prima perſona inuenitur, ſed ſecunda ſolum, & tertia: vtique, quia imperium intellectuale (cuius ſi eſſet imitatiuum verbale foret) omnibus gentibus cuiuſvis nationis, & linguæ cenſetur impoſſibile. Secundo de vtróque modo intellectualis imperij reſpectu volitionis probatur vniuerſim impoſſibilitas. Quia de eſſentia imperij eſt afferre determinationem, & neceſſitatem actionis imperatæ, quam imperatum agens abſque imperio illo non habebat: ſed nullo imperio intellectuali aſſignato, & adintento afferri poteſt voluntati diuinæ (& idem eſt de reliquis) determinatio, & neceſſitas actus quem antea non habebat: ergò reſpectu volitionis diuinæ nullum ex aſſignatis, aut ex aſſignabilibus intellectuale imperium eſſe poteſt. Diſcurſus concludit, ſi præmiſſæ ſint firmæ: quarum maior axioma & ipſa imperij eſſentia, & defin tio eſt. Minor eſt etiam certa: quia imperium omne aſſignatum, & aſſignabile de faciendis ab imperante ipſo, vel ſolo, vel cum aliis, ſupponit determinationem voluntatis per volitionem efficacem de faciendis & modo, quo facienda ſunt, quæ ſubinde affert neceſſitatem phyſicam ita ea faciendi in imperante (ſi ab eo agenda ſint) & moralem in aliis, ſeu ciuilem, vel quaſi, ſi ab alio ſunt agenda; aſt nullum ex aſſignatis, vel aſſignabilibus imperium intellectuale aliam, ſiue ad aliud neceſſitatem & determinationem poteſt afferre voluntati imperantis: ergo nullum imperium intellectuale aſſignatum, vel aſſignabile poteſt afferre denuo voluntati imperantis aliquam determinationem, & neceſſitatem ad actum proprium, vel quid aliud, ad quod neceſſitas, & determinatio voluntatis non præſupponatur.

7. Maior de hactenus aſſignatis, & excogitatis imperiis intellectualibus eſt certa: ſiquidem vterque modus intellectualis imperij ſupponit neceſſitatem, determinationem voluntatis ordinandi rem prouiſam determinato hoc modo per voluntatem efficacem præhabitam de mediis aptis ad finem ipſi è Dei intentione præſcriptum: ad quod ſolum per aptum ex hoc intellectuali imperio elicitum poſſet voluntas determinari, ac neceſſitari: ſed de omni intellectuali imperio aſſignabili probatur. Quia nullatenus eſſet liber actus voluntatis ex imperio intellectus eam ad illum neceſſitate, & determinante, ni imperium illud actum voluntatis liberum, & ad ea omnia efficacem, & determinantem ſupponat, vel penes intellectum ſit actionum rationalium, & humanarum libertas, & dominium, cum diſpendio primæ, & primariæ libertatis, & dominij voluntatis ſuæ in proprias cuiuſque actiones: cum enim imperium intellectuale hoc neceſſitatem voluntati, & determinationem ad actum imperatum afferat, ac proinde actus nequeat eſſe proximè, & immediatè liber; ſed nec mediatè, ni intellectuale imperium nullum actum voluntatis liberum ſupponens proximè, & formaliter liberè ab intellectu eliciatur: quod, ni intellectus libera potentia ſit fieri nequit: ſed nec poteſt imperium hoc actuale reſpectu po-

entiarum imperantis exequentium imperata imperium, & determinatio eſſe. Si enim reſpectu potentiæ, ſeu omnipotentiæ diuinæ, creatorum omnium executricis, loquamur, in mea, & veroſimiliori, opinione omnipotentiam diuinam cum eius voluntate formaliter etiam & metaphyſicè identificante probatum iam eſt. Vniuerſalius autem id probo, etſi realiter etiam potentia exequens à volitiua in Deo differret. Primò: quia neceſſitas, determinatio, & applicatio potentiæ exequentis ad operandum irreſiſtibiliter in imperante ſupponitur inducta per voluntatem efficacem, quam imperium intellectuale ſupponit, vt oſtendimus. Secundo: quia intellectuali imperio aliis potentiis, quæ obiectorum propoſitione, & cognitione non ducuntur imperare, perinde eſt atque *ſurdo* (vt aiunt) *narrare fabellam*. Tertiò ex omnium Philoſophorum, & Theologorum doctrina qui dominium, & imperium totum in cæteras potentias ſibi coniunctas ſuppoſito, vel ſubiecto, ſoli voluntati, & deſpoticum illud, tribuunt; vt eas omnes, abſque obiecti cognitione, & propoſitione, ſtatuta à voluntate exequi faciat, & obedire. Quarto demum argumentum illud ex omni bono idiomatis cuiuſvis grammatica locum hic etiam habet contra modum intellectualis imperij Thomiſtarum recentiorum; ſiquidem, ſi imperare propriis potentiis exequentibus non repugnaret, modus verbi imperatiuus primam perſonam habere in bona grammatica poſſet, & deberet.

8. Horum pleraque attingens noſter Ruiz tota ſectione 8. titulo, & concluſione præfixa monaſticum non eſſe neque reſpectu voluntatis ad vlteriorem volitionem de effectu, ſeu re & modo, quo facienda extrinſecus abſolutè eſt à voluntate extorquendam, nec ad inducendam potentiis exequentibus imperantis neceſſitatem, & determinationem, quam ex præſuppoſita voluntate efficaci de abſoluta effectione, & exiſtentia rei, & modi quo facienda eſt ante intellectuale imperium præhabent: reſpondet ſectione 11. numero 2. & 6. vbi ait iudicium aſſertiuum voluntatis Dei de re, & modo, quo facienda eſt reſpectu Dei locutionem eſſe, nuſquam vero imperium, tantumque inſeruire, ne Deus cæco modo, atque inſcius de re, & modo, quo facienda abſolutè eſt, ſolaque cognitione poſſibilitatis rei, & modi, quo fieri poteſt, quæ voluntatem de eiuſmodi effectione præcedit, vtrumque exequatur. Sed tamen hæc contradicunt dictis ab ipſo Authore ſect. 6. vbi numero 2. ait. *Idem imperium Dei quatenus efficaciter mouet ac dirigit prædeſtinatos ad credendum, ſperandum, & diligendum ſicut oportet, vt ſic eſt imperium monaſticum, quo Deus ſuas operationes exequitur, & propria ſibi facultate operandi fungitur.* Ergò admittit imperium eſſe, nec ſolam locutionem reſpectu Dei eo iudicio imperantis. Contra ſecundò: quia ſecluſa ab eo iudicio inductione neceſſitatis & determinationis ad rem extrinſecus, & modum, quo abſolutè facienda eſt potentiis volitiuæ, & executiuæ imperantis, excluditur ratio, & eſſentia imperij monaſtici ab eo iudicio, *quæ* (Authoris huius verba ſunt de eſſentia imperij vniuerſim, & in ſupremo genere ſumpti ſect. 11. num. 8. agentis) *conſiſtit in hoc quod iudicium intimans efficacem volitionem eo ipſo neceſſitatem inducat, vt fiant, res quas iudicat eſſe faciendas.* Atqui ea determinatio, & neceſſitas potentiæ volitiuæ, & executiuæ imperantis præſupponitur inducta per ipſius voluntatem efficacem de re, & modo, quo abſolutè facienda eſt vt ipſe non ſemel fatetur; noſque proximè demonſtrabamus: ergo nequit eſſe imperium monaſticum, & reſpectu Dei, vt citatis verbis hic author admittit, etſi quandoque tale imperium eſſe minus debita conſequentia neget.

9. Id autem quod conſtanter totaque ſect. 8. docet, & probat (non poſſe ſcilicet intellectuale hoc imperium mouere ad vlteriorem volitionem de opere faciendo atque ea ratione monaſticum eſſe) minimè cohæret cum eo, quod addit, nempè ſolum eſſe allocutionem Dei, *ad ſeipſum, vt videns animaduertens, ſciens & prudens prodeat in opus certum, ac determinatum cum directione determinata rei faciendæ tanquam de facto faciendæ*, vt ſcribit ſect. 11. n. 2. etenim cum iudicium illud requiratur, vt *ſciens & prudens, &c.* per illud prodeat in opus Deus imperium ad ipſum, ſaltem ratione executiuæ potentiæ ſuæ monaſticum eſt, non ſola allocutio: Nec valet determinationem, & neceſſitatem operandi præſuppoſitam inductam executrici potentiæ à voluntate efficaci in huius doctrina: ſiquidem, nec ſufficit eadem neceſſitas, & determinatio ab efficaci voluntate priùs inducta operibus creatis, vt fiant, quo minus iudicium illud reſpectu eorum imperium phyſicum, & ad alterum ſit. Secundò inquiro: an illud *ſciens & prudens*, tantundem valeat, atque *vt ex ſcientia, prudentia, & operis faciendi viſione Deus operetur*, qui ad ſe eo iudicio loquitur, vt verba ſenſu, & ſignificatione apud omnes recepta ſonant? an ſolum comitanter, & per accidens vt in opus prodeat illud iudicium ſe habeat in Deo? Si poſtremum prouidentia non eſt, neque eius complementum; tota enim prouidentia per ſe cauſa eſt, vt Deus operetur ad extra; nec ſolum, vt cauſa per accidens & materialiter Dei operationem comitans ſe habet, vt muſica in ædificatore: & hic Doctor ex profeſſo eſſe cauſam, & exemplarem & efficientem, vt Deus ad extra operetur, fatetur, & probat. Alias, nec reſpectu creaturarum, vt paſſiue fiant: quod neceſſario in, quæ ex ipſo fiunt vt cauſa per ſe, nec ſolum ad ipſorum effectionem comitanter ſe gerit: ſi autem dicas primum illud iudicium, quod Deo cauſa per ſe eſt, vt operetur ad extra, & creaturis, vt fiant, non eſt locutio Dei ad creaturas per te, plerumq; rationis, & auditionis incapaces, vt aſſeris, ſed ad ſeipſum non qua omnipotentem: patet, quia omnipotens formaliter, nec rationalis, nec volitiuus (ſi à voluntate omnipotentia formaliter differt) eſt; ſed ſolum operatiuus ad extra & tranſeunter: quare nec ratione omnipotentiæ rationis & auditionis capax, vt nuper de irrationalibus creaturis dicebamus: ergo locutio illa Dei ad ſeipſum per iudicium illud præcedens vt Deus ſciens & prudens prodeat in opus, &c. ad ſeipſum, qua rationalem & volitiuum eſt, ſiue ad ſeipſum ſecundum eam potentiam & facultatem, cui obiectum proponi, quæque ratione duci ac dirigi poſſit, ac moueri nempe voluntatem: ergo huic proponitur obiectum nempè, vt ex, & iuxta illud iudicium Deus operetur ad extra, ab eaque vlterior actio & volitio de re, & modo, quo abſolutè facienda ei ſollicitatur: imò, & determinatur per eiuſmodi iudicium, & imperium, contra tuum aliud aſſertum & contra rationem determinandi ſcilicet ad actum & determinationem voluntatis præſuppoſitam.

10. Opportunè hic huius ſententiæ fundamentum conuellam, antequam alias eius impugnationes perſequar: quia eorum ſolutio ex proximo diſcurſu lucem capiet ac mutuò illum illuſtrabit. Totum enim fundamentum eſt: quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ indifferens eſt, prouiſiſque, ac non prouiſis communis nec determinata, vt res hæc, & tali modo fiat: quæ nec opus, & modum faciendum repræſentat, nec de ſe practica eſt, nec decens, vt Deus ſciens, & prudens de opere abſolutè faciendo in opus prodeat, atque operetur; cum tamen & prouidentia ſcientiam de ſe practicam, & ex qua Deus ſciens, & prudens de opere faciendo vt faciendum abſolute eſt, operetur. Reſpondetur ad primum, ſeu primam partem fundamenti: ſcientiam nullam eſſe eſſentia ſua practicam, adhuc in actu primo, quantumvis ſit de re facienda, & modo quo facienda eſt pro quovis ſtatu; ſed practicum in actu primo & ſpeculatiuum eſſe differentias accidentarias ſcientiarum deſumptas extrinſecus ipſis à potentia vel impotentia exequendi rem cum modo, quo facienda cognoſcitur, vt contro. de actibus intellectus, & contro. 1. Dialect. dicebamus. Nam & Angelus perfectiſſimè cognoſcit res, & modos quibus facienda plura ab aliis ſunt: quæ tamen ab ipſo fieri nequeunt, cuius poteſtatis defectu cognitiones illæ ſpeculatiuæ ſunt, nam practicæ, vt in aliis forent, à quibus res eo modo fieri poſſet. Quoad determinationem vero rei, & modi quo facienda eſt, cum fiet, vti rei, & modi huius eſt, horum determinatè obiectorum eſt, ac non aliorum obiectorum: etſi ſimilis aliorum obiectorum, quoad rem, & modum, quo fieri poſſint aliis ſcientia Deo: ac proinde communis ſubiectiue ea ſcientia prouiſis, ac non prouiſis rebus eſt: obiectiue autem diuerſa: quoad determinationem vero actiuam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rei faciendæ, vel ſecus, nec de ratione ſcientiæ practicæ eſt, nec ad intellectum ſpectat, cuius ſolum eſt obiecta cognoſcere, & voluntati proponere, vt eius ductu, & luce præuia, non cæco, & irrationali modo pro libito, & arbitrio ſuo, & ex præconſiliato in illa obiecta, vel complacentiæ, vel deſiderij affectu feratur, vel non feratur. Quod ſi efficaci feratur deſiderio in obiectum iam huius efficiendi determinatió actiua adeſt, non autem alterius efficiendi, in quod efficaci deſiderio voluntas non fertur: ac proinde determinatio actiua, ſcientiæ practicæ extrinſeca etiam eſt à voluntatis actu efficaci, quem ſua obiecti propoſitione ab illa ſollicitat, & obtinet. Hinc conſtat ſcientem, & prudentem Deum opus externum aggredi, cum ex voluntate efficaci, cui præconſiliatum præceſſit opus aggreditur: & præconſiliato, quoad rem quidem, & modum, quo exequendum opus eſt: tametſi non quoad ſtatum abſolutæ exiſtentiæ, quem poſt, ſeu per abſolutam executionem habebit, quem efficaciter deſiderare, & actiuè voluntate ſua determinare (ni actum agere ineptiſſimè velit) nuſquam poſſet, ſi abſolutè factum, & exiſtentem in ſe voluntati proponeret, vt decerneret faciendum.

11. Quare omninò fallaciter, & ex rudi æquivocatione ea propoſitio aſſumitur: ſpectare nimirum ad Dei decentiam in operando, atque, vt non cæco modo, ſed ſciens, & prudens operetur iudicium de re, & modo quo opus faciendum eſt, vt faciendum, ſeu futurum abſolutè efficaci Dei voluntate eſt; nec ſolum vt poteſt fieri, expectandumque illud iudicium pro naturæ priori, vt prodeat Deus ad opus exequendum. Dicetur enim ante executionem præſupponi, & prænoſci debere executum implicatione manifeſta: tametſi, vt faciendum, id eſt, cum omnibus, quæ abſolutè habebit, quoad ſubſtantiam, & modum, cum res pro naturæ poſteriori fiat, pro ſtatu tamen poſſibilitatis, & factibilitatis illo ipſo modo debeat prænoſci, vt non cæco modo, ſed ſciens, & prudens Deus, & quivis alius opus faciendum efficaciter decernat, & deinceps exequatur. Atque, vt appareat, quam male ex ſcientia, & prudentia, ſecundum quam, &, ex qua debet operari ad extra Deus, vt ſe digne decenter, atque ex perfecta prouidentia operetur, iudicium hoc enunciatiuum voluntatis efficacis de abſoluta exiſtentia rei, & modi, quo facienda eſt ab hoc authore neceſſarium abducatur, aduertendum eſt: ad dignitatem, decentiam, & perfectionem prouidentiæ, ex qua ſciens, & prudens, ac non cœco modo operari debet Deus, expectare ſolummodo poſſe ſcientiam, & præſcientiam faciendorum ab ipſo, quæ facultati, & potentiæ ipſius inſeruiat, quæ dirigi in ſe, & per ſe eiuſmodi ſcientia poſſit, atque obiectorum eius propoſitione ad illorum proſecutionem duci, & induci ac reſpectu eius tantum; non autem reſpectu aliarum. quæ in ſe, & per ſe dirigi ea ſcientia ad obiecta, & operationes propoſitas per ſcientiam illam proſequendas, ſiue exequendas non poſſunt, ſolúmque extrinſecus, & denominatiuè ab actu eius facultatis, quæ ex ſcientia, & propoſitione obiectorum ipſum elicit, & quo medio ad operandum facultas alia determinatur: Cum autem facultas obiectorum propoſitione de ſe, & per ſe dirigibilis, atque ex præconſiliato determinabilis atque determinatiua aliarum facultatum ipſi coniunctarum, ſuppoſito, vel ſubiecto ſola voluntas ſit: fit planè, vt illud iudicium proponens obiectum faciendum, & modum, quo faciendum eſt, quod ad actum voluntatis de opere faciendo, & modo, quo faciendum eſt mouere voluntatem poſſit eſſe requiſitum vt agens rationale (atque in re præſente Deus) ex ſcientia, prudentia, ac non cæco modo, ſed digne, & rationabiliter operetur: illud vero ad hoc, nec requiri, nec pertinere, quod voluntatem ad eiuſmodi actum de opere ita faciendo, nec mouet nec poteſt mouere: atqui per hunc Doctorem iudicium illud de voluntate efficaci operis, & modi, quo abſolutè faciendum eſt, præſuppoſita, non mouet ad vlteriorem actum voluntatis de opere, & modo abſolutè faciendo; immò nec poteſt mouere vt vidimus numero 9. ſed ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ voluntatis actum de opere faciendo poſteriori iudicio enunciatum direxit & præceſſit: ergò ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem iudicium illud actus voluntatis de opere faciendo enuntiatiuum requiritur, & pertinet ad perfectam agentis rationalis (atque in re præſenti Dei) prouidentiam, ſiue, vt decenter, dignè, non cæco modo, ſed ſciens, & prudens rationale agens operetur.

12. Ab exemplo Archytecti, cui templi, vel domus ſtruendæ ignigraphia, ſeu orthographia ſatis non eſt, vt in opus prodeat prudenter, quovſque eam domus delineationem, & exemplar probans eius dominus futurus, vt illud exemplar in eius ſtructura ſequatur, præceperit reliquis orthographiis (ſi quæ ſint) reiectis, ſolum probat: expectandum iudicium exemplar illud approbantis Domini, eiuſque determinatam voluntatem exterius Archytecto intimandum, quia capax intimationis voce, aut ſcripto eſt: quæ intimatio externa decretum dicitur, quia non aliud quam decretum Domini intimat pro quo externa intimatio illa ſubſtituit, atque imperium Domini, ac cuius aliena voluntate executio neceſſario pendet ad Archytectum eſt; cæterum, cum Iudicium exemplar illud proponens, aptumque iudicans, & ex cuius præ aliis electione, vt ad ipſum domus ædificetur Domini voluntas determinatur, domum ipſam, iuxta illud ædificandum, nec proponat, nec domus facienda, vt abſolutè facienda, ſiue in ſtatu abſolutæ ſuæ effectionis, ante, vel poſt electionem, iudicio illo de exemplaris propoſiti rectitudine à Domino eligente, eiuſque inſtruenda executiuè domo imitationem præcipiente habeatur: nil aliud hoc exemplo deducitur, quam iudicio de rectitudine exemplaris, iuxta quod domus facta nondum eſt, ſed fieri poſſe proponitur, electio Domini, vt iuxta illud ac non aliter domus fiat ab eius voluntate obtineatur. Nec ampliùs ſuadent teſtimonia Dionyſij, & Damaſceni, quæ de cauſis exemplaribus, & idæis diuinis ſunt, quas ſtabiles in mente Dei aſſerunt: cauſa vero exemplaris imperium non eſt: imò nec in mente diuina formaliter eſt vt formalis ſcientia, & repræſentatio eſt, ſed, vt obiectum: vt de diuinis idæis diximus tom.1. de Deo vno controu.2. diſput.vlt. approbante ipſo Ruiz tom. de ſcientia d.82. à ſect. 6. ex his ipſis locis Dionyſij de diuinis nominibus capite 5. circa finem, & Damaſceni orat.1. de imaginibus pag.3. quæ pro hoc ſuo intellectuali imperio recitat, & expendit ſectione 9. num.12.13. & 14. malè explicat verba illa Dionyſij à ſe ex citato loco recitata, *quas ſcripta diuina prædeſtinationes appellant, diuinaſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt*, iuxta idæas, ſeu idæaliter: *& faciunt omnia* actiuè, & prouidentialiter ex omnipotentia intelligenda venire; ſiquidem obiectiuè ſolum diuinæ voluntates vſurpantur, cum idææ, vel exemplaria dicuntur à Dionyſio, & Patribus reliquis: vnde quod confirmatione vltima aſſumit (prouidentiam ſcilicet eſſe cauſam exemplarem rerum) & falſo tribuit Boëtio 4. de conſolat. Proſa 6. verſ. med. ſeipſo euaneſcit. Reliqua, quæ ex ſcriptura, & Patribus pro intellectuali ſuo imperio diuino adducit, æque, immò verbis, ſonoque tenus, non huic ſuo, ſed Thomiſtico, imperatiui modi, quod reiicit, magis fauent: & pro imperio intellectuali ad creaturas faciendas directo faciunt: quod dilemmatis, quo argumentum ſecundum contra imperium quodvis intellectuale proponebamus numero 5. pars eſt ſecunda à nobis iam probanda: quare oportunius poſt ſecundæ huius partis, cui ea loca videntur directo aduerſari, probationem obiicientur, ac diluentur.

## CERTAMEN IV.

### *Imperium intellectuale, immò nullum, Deo intrinſecum reſpectu creaturarum eſſe poteſt.*

1. QVod autem intellectuale hoc imperium reſpectu creaturarum, ad eaſque directum eſſe non poſſit: de rationalibus, & liberis creaturis earumque liberis operationibus probauit iam pridem efficaciter Aureolus vbi ſupra: quia imperium omne diuinum intellectuale eſſentia ſua verum, & antecedens natura,& cauſalitate ad imperata extrinſeca connexum eſt eſſentia ſua, & ex parte antecedentis & ſui prioris quodvis naturæ cum imperatis ad illarum abſolutam exiſtentiam determinans, neceſſitatemque inducens: atqui neceſſitas, & determinatio ex parte cauſæ & prioris naturæ ad abſolutam effectus exiſtentiam ſe tenens, huius libertatem euertit: ergo imperium intellectuale, & Dei prouidentia, quæ in eo ſtet, eoue compleatur, prouiſi & imperati effectus euertit libertatem: atqui actiones liberæ creatæ prouiſæ, atque in hac ſententia imperio intellectuali prouidentiam vniuerſim complente, ſeu conſtituente, ſunt etiam imperatæ; ergò earum libertas per prouidentiam aboletur. Hoc argumentum contra imperium intellectuale Thomiſticum eoque ſitam prouidentiam, æque irrefragabile eſt, ac ſi contra phyſicam prædermінationem cauſæ creatæ liberæ formaretur, vel contra decretum Dei prædeterminatiuum cauſæ liberæ ad ſuas operationes: vt expendebamus t.1. de Deo vno controu. 3. d. 1. multa ſcripturæ, conciliorum, decretorum, ſedis Apoſtolicæ, & S. Inquiſitionis, Patrum, & ſcholaſticorum eruditione, neque rationis pondere leui. Ruiz vero, cui ſcientia media ex vſu eſt, reſpondet certam. 10. num. 3. iuxta ſuam, & communem Suariſtarum præfinitionum liberæ actionis regulatarum per ſcientiam mediam, imperium hoc ſuum, eoque conſtitutam prouidentiam Dei de creatis liberis actionibus non, niſi præhabita ſcientia media eiuſque directione, ac regulatione à Deo haberi: ac ſubinde vſum libertatis noſtræ conditionatum, ſiue operationis noſtræ conditionatam liberam futuritionem ſupponere: idque ſatis eſſe, vt determinatio, & neceſſitas antecedens natura, & cauſalitate ipſarum abſolutam exiſtentiam, & futuritionem abſolutæ libertati non officiat. Solutionem hanc confutauimus, & radicitus conuulſimus controuerſ. 4. de voluntate d. 6. quæſtion. 2. tota contra Suariſtas præfinitiones: oſtendentes, præfinitionem antecedentem abſolutam actus liberi, regulatam etiam per ſcientiam mediam ex præſuppoſitione futuritionis conditionatæ actus, & exercitij liberi noſtræ voluntatis inimicitias cum abſoluta actus præfiniti libertate non deponere, neque hoſtilitatem exuere; ſed ſolum non adeò intimè illam inſpicientibus diſſimulare: id quod in prouidentia eſt clarius: ſiquidem Dei prouidentia principium neceſſariò, & eſſentialiter requiſitum creatæ omnis actionis, & effectus eſt: quare nec ſtatus conditionatus poteſt ab illa, niſi fraudulenter præſcindere: quouis enim gradu anteriori eam collocare velis, non poteſt non pro omni ſtatu actionem antecedere atque pro illo eius libertati officere; quod præfinitio Soariſtica (quæ neceſſarium, & eſſentiale actionis principium non eſt, ſed ſolum ſupererogatoriè & ſupererogationis) non habet: quare & abſque eius præſuppoſitione in gradu vllo anteriore poteſt vere, & bene ſtatus conditionatus actionis liberæ conſtitui.

2. Secundò impugnatur prouidentia actionum liberarum imperio intellectuali ad ipſas conſtituta: etenim imperium actionum creatarum liberarum à rationali creatura faciendarum, vt reſpectu illius debito, & congruenti modo habeatur, ac feratur intimatione intellectuali creaturæ rationali opus eſſet, vt actionem imperatam à Deo eliceret: nec phyſica ſolum intimatio, quæ phyſica determinatione, & neceſſitate inducta agentibus naturalibus congrua, & idonea eſt, reſpectu agentium rationalium congrua eſſe poteſt: atqui imperium hoc intellectuale, quod per te, vel prouidentia eſt vel illam vltimo conſtituit de nulla actione libera creata rationali creaturæ intimatur intellectuali intimatione congrua, & debita, ſed ſolum phyſica, atque eius dignitatem dedecente; cum tamen de omni actione libera congruam & agenti libero conuenientem prouidentiam habeat: ergo prouidentia actionum liberarum creatarum diuina in eo intellectuali imperio non ſtat. Confirmatur, quia actionum noſtrarum indifferentium nullum imperium diuinum eſt; alióqui eo ipſo non eſſent ex obiecto indifferentes: quandoquidem ex imperio eſſent bonæ, & earum omiſſiones prauæ, Deique imperio aduerſæ, & tamen earum omnium eſt in Deo prouidentia: vrgetur: quia vt fatentur auctores, quos ſuper intellectuali imperio impugnamus, prauarum etiam actionum eſt in Deo prouidentia, & tamen earum imperium in Deo eſſe nequit: ſiquidem earum eſt in Deo ſeria non perfunctoria ac verbo ſolum tenus, prohibitio. Nec præſtat ſi dicas: eſſe prohibitionem moralem actionum prohibitarum; imperium vero de illis Phyſicum: cum vero phyſicum hoc imperium neceſſitatem, & determinationem ineuitabilem inducat, vt phyſicè agens liberum irreſiſtibiliter operetur, omni circulatore fallacior Deus eam actionem moraliter prohiberet: omnique Tyranno immanior, & crudelior, dum prohibet vt puniat, quod deſpotico imperio phyſico ab agente libero conſilij, & potentiæ reſiſtitiuæ impote extorquet. Tria hæc, quæ hoc numero poſuimus Dei prouidentiam de liberis actionibus in nullo interno Dei imperio de extrinſecùs faciendis ſtare poſſe, quare neque in intellectuali imperio, haud leuiter ſuadent: ac proinde Dei voluntatem, qua creaturas rationales per media apta, & ſufficientia, vel etiam congrua, de ſe tamen indifferentia (vt ad libertatem ſeruandam oportet) vt bene operentur, atque æternam conſequantur ſalutem, prouidet, & diſponit, de mediis quidem ipſis efficacem, ac ſi velis imperium qualequale eſſe, & improprium, vt iam oſtendam; De actionibus autem ipſis liberis, atque ſalutis æternæ meritoriis, nec imperium eſſe poſſe, nec voluntatem efficacem, vt tria hæc, & num. antecedente inſtructum argumentum euincunt: ſolumque de eis imperium eſſe poſſe morale, quod nullam earum efficiendarum neceſſitatem, & determinationem, adhuc moralem, liberis agentibus abſolutam afferat; ſed ſolum conditionatam, vt nimirum peccet liberum agens, ſi Dei imperio non obſequatur, imperatas ſibi à Deo actiones omittens, ſicuti & eiuſdem imperio prohibitas exercens.

3. Sed vniuerſalius ad nullam creaturam, etiam irrationalem imperium hoc intellectuale dirigi poſſe proprium ve reſpectu illius imperium Dei ad alium eſſe probatur, etſi enim etiam ad creaturas irrationales intrinſecum Dei imperium proprium eſſe poſſet, quod ſtatim refellam; illud tamen non intellectus, & ſcientiæ Diuinæ actus foret; ſed actus voluntatis. Probatur primo ex illo Pſalmi 110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Quibus præcipua creaturarum laus inde ſumitur, quod ad creatoris nutum, & imperium qualequale, cum in eſſendo, tum in operando obediant exactiſſime: idem enim valet exquiſita, atque exacta; atqui exactio hæc obedientiæ creaturis cunctis poſſibilis reſpectu Dei, reſpectu voluntatis Dei, non autem iudicij intellectualis eſſe dicitur: ergo imperium, qualequale, Dei reſpectu creaturarum, ſiue ad creaturas faciendas directum non in iudicio, ſiue intellectuali aliquo actu, ſed in voluntate, ſeù actu voluntatis diuinæ à Pſalmiſta recognoſcitur. Patet, quia reſpectu eius actionis qui imperium formaliter eſt, ſiue Dei imperantis, cum imperantis formaliter creaturis, earum eſſe debet obedientia Deo creatori. Probatur ſecundò, & proponitur ratio à Priori ſententiæ Pſalmiſtæ, & intenti noſtri ex dictis certam. 3. num. 6. & 7. etenim de ratione imperij vniuerſim eſt afferre neceſſitatem, & determinationem quam ante illud non habebat res imperata ad exiſten-

dum,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dum, ſeu operandum, vel vtrumque; atqui hanc affert ſolus actus voluntatis diuinę antecedens, ac præſuppoſita ad quemuis ex aſſignatis, & aſſignabilibus actibus imperij, quod dicitur, diciue poteſt, intellectualis, vt creaturæ ſint vel operentur; non autem eam afferre creaturis poteſt actus aliquis ex aſſignatis, vel aſſignabilibus intellectualibus: vt eo loco oſtendebamus: ergo ſolus voluntatis, non verò intellectus, quale quale imperium Dei reſpectu creaturarum eſſe poteſt.

4. Confirmatur minor, quæ ſola deſiderare poſſet probationem: etenim iudicium illud enuntiatiuum de præſenti indicatiui modi (qui ſolus in Deo eſt eſſeque poteſt, vt conſtat ex impoſſibilitate actus intellectus modi imperatiui oſtenſa certam.2. à num.6. & certam.3. num.6. ante med.) voluntatis efficacis de creaturæ abſoluta exiſtentia, & effectione, eatenus ſolùm neceſſitatem, & determinationem, vt creatura ità abſolutè ſit, & fiat, ac operetur attingit, quatenus attingit voluntatem efficacem præſuppoſitam, quæ eius obiectum eſt, & in ſe formaliter eam neceſſitatem, & determinationem abſolutè eſſendi, & efficiendi creaturis ſe ipſa affert, quia ſe ipſa formaliter determinatio, & neceſſitas antecedens ad ipſum eſt: ergo non aliam abſolutè eſſendi, & efficiendi neceſſitatem, & determinationem creaturis affert iudicium illud, ſed eam, quæ efficacis voluntatis eſt, ſeù à voluntate efficaci formaliter eſt, aſſerit, atque enuntiat de præſenti; inde rurſus: cum iudicium hoc voluntatis efficacis diuinæ ſpeculatiuum ſit, reſpectu neceſſitatis, determinationis creaturæ vt abſolutè ſit, fiat, & operetur ſola ac pura ſpeculatio, nullatenus vero actiua determinatio & neceſſitas, vt abſolute creatura ſit, fiat, & operetur; immò, nec practica ſcientia, & imperium poterit eſſe. Confirmatur vlterius: quia iudicium de abſoluta exiſtentia rei pro aliqua duratione, pro qua abſolutè eſt, vel fuit, vel erit, eſt iudicium de neceſſitate conſequente exiſtentiæ rei pro illa duratione, incluſa formaliter in ipſa rei exiſtentia pro illa, quæ eſt ipſa formalis excluſio ſuæ abſolutæ negationis pro illa duratione; & tamen neceſſitatis illius conſequentis, nec iudicium practicum nec determinationem actiuam neceſſitatem affert, ſed purè ſpeculatiuum iudicium eſt neceſſitatis illius, quam ſupponit: ergò, & iudicium, neceſſitatis, & determinationis antecedentis, vt res abſolute ſint &c. incluſæ formaliter in voluntate efficaci Dei, quam ex parte ſui obiecti ſupponit, purè ſpeculatiuum erit, nulliuſque neceſſitatis, ac determinationis, vt res abſolutè ſint, ac fiant, actiuum & practicum, nedum inductiuum erit. Denique ſolutio, quæ huic argumento adhiberi ex noſtri. Ruiz doctrina poſſet, ex decentia Dei prouidentis, ne cæco modo, ſed ſciens, & prudens de opere faciendo, vt faciendo abſolute operetur Deus, adhuc imperio monaſtico Dei ad ſe ipſum, (cuius ſolum actiuè operandis decentia referre poſſet) diſiecta eſt certam. 3. à num. 8. Ad imperium verò, quaſi ciuile politicum, & phyſicum, & ad alium, nempè creaturas, quarum, vt ſint, & fiant paſſiue prouidentia propria ipſarum non eſt, nec vmbram adhuc veritatis ea ſolutio habet: earum quippè nihili refert indecentia prouidentiæ, & prouiſoris; dummodo nihil eis inde de ſua abſoluta exiſtentia, & perfectione imminuatur.

5. Vltimum caput impugnandi hoc intellectuale imperium Dei reſpectu creaturarum eſt imperij proprij interni cuiuſvis diuini, ac pure phyſici ad creaturas, quæ creaturæ ſunt, impoſſibilitas. Dixi *purè phyſici* atque ad creaturas, *qua creaturæ ſunt*, vt rationales etiam complectar, reſpectu quarum, qua rationales ſunt intellectuale hoc imperium (immò neque vllum aliud Deo internum) imperium proprium eſſe non poſſe oſtendi num.1. & 2. ex capite multiplici. Probatur phyſicum imperium internum, quod proprium Dei eſſe volunt, ad creaturas, ſeù reſpectu creaturarum, qua talium, ſtat in determinatione, & neceſſitate phyſica ipſis extrinſeca, Deoque & actui intellectus (& idem eſt ſi in actu voluntatis efficacis conſtitueretur) diuini intrinſeca, & identificata, vt creaturæ abſolutè fiant, ſint, ac operentur: atqui hæc phyſica neceſſitas, & determinatio Deo intrinſeca extrinſeca creaturis, vt abſolutè fiant, ſint, ac operentur, proprium imperium non eſt: ergò nullus actus internus Dei, ſiue ſcientiæ, ſiue voluntatis eam afferens neceſſitatem creaturis, eſt proprium imperiũ ad ipſas. Minor probatur primo: quia imperij proprij terminus eſſentialiter correlatus, & reſpondens ex parte eius, ad quem fertur, & reſpectu cuius imperium proprium, ſeu præceptum dicitur, eſt obedientia propria: atqui in creaturis, qua talibus, atque ex phyſica illa neceſſitate, & determinatione Deo intrinſeca, tamen extrinſeca exiſtentibus, & operantibus, obedientia propria non eſt: ergo neque illa Deo intrinſeca, & creaturis extrinſeca ac phyſica determinatione ad eiuſmodi actus, & executiones correlatas eſt proprium imperium. Maior ex terminis ipſis per ſe nota mihi, & omnibus communiter eſt: ſicuti & minor. Sed Ruiz noſter ſect.11. num.9. minorem admittit: tametſi obedientiam ampliari poſſe, non renuat, vt comprehendat, quamuis effectus, abſque vlla reſiſtentia, aſſecutionem, verum ampliatio ſignificati vocem à proprio ſignificato ad aliud, quod ipſius proprium non ſit, ſignificandum extrahi ac deduci conuincit: idcircò negat abſolutè maiorem: atque obedientiam propriam, non quidem imperio proprio vniuerſim, ſiue omni imperij proprij ſpeciei terminum eſſentialiter correlatum, & reſpondentem eſſe; ſed morali tantum, & politico, ſeu ciuili imperio non autem phyſico, quod in actu Dei interno ad creaturas, ſiuè reſpectu creaturarum admittit. Ego verò æqua ampliatione, & metaphora imperij vocem ad imperium phyſicum ſeu phyſicam determinationem ab alio extrinſecus inductam ſignificandum extendi video, atque obedientiæ vocem ad ſignificandam irreſiſtibilem ex ea phyſica neceſſitate, & determinatione executionem: ac ſubinde per ſe omnibus notum reor eo ſolum genere, & modo quo poſſibilis obedientia ſubditi eſt, eſſe imperium poſſibile, atque eo etiam genere, & modo hoc impoſſibile eſſe, quo eſt obedientia impoſſibilis. Cum autem obedientia huic imperio phyſico, purè tali, ad creaturas omnes, qua tales præciſe directo metaphorica ſolum, Ruiz ipſo fatente ſit; nec propria obedientia eſſe poſſit ex parte ſubditarum creaturarum exequentium, imperium purè phyſicum Dei ad ipſas metaphoricum ſolum eſſe poteſt.

6. Sed, quamuis per ſe notum ſit, probatio eſt difficillima: quia nihil eis afferri poteſt, vel clarius, vel anterius; ad hominem tamen, & ab abſurdis probari aliquando, & hic in primis poſſunt: qui enim per ſe nota negat, nequit conſequenter, & abſque abſurdis philoſophari. Contra igitur ad hominem primò: quia Ruiz ipſe num. 14. legis nomen ad creaturas irrationales latæ (idemque eſt de rationalibus, non qua rationalibus, nec rationali modo latæ ad ipſas) metaphorice accipiendum fatetur reſpectu earum creaturarum: quare & ita eam vocem accipi Prouerb. 14. *legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*, & Iob. 38. *vſque huc venies, & non procedes amplius*, &c. Quibus libris frequens figuratarum locutionum vſus eſt: atqui ea voce legis aperitur Dei voluntas efficax, ac iudicium eius enuntiatiuum de præſenti, ne mare ea præfixos terminos tranſiliat; ergò non eſt metaphorici imperij locutio, & ſignificatio, ſi in illis proprium imperium eſt. Nec valet legis nomen propriè de imperio, ſeu præcepto pro tota Republica lato, non autem ad particulare eius membrum, ſeu partem directo eſſe, ac proinde in eo metaphoricam acceptionem eius vocis fuiſſe. Primo enim lex adiuncto, & ſignato particulari ad quem fertur proprietate ſermonis lex particularis dicitur, atque idem, quod imperium, ſiue præceptum ſignificat: eis verò locis deſignatur: ergò ſermonis proprietate legem particularem ſeù imperium ſignificat: ex eo quippe adiuncto ad proprie ſignificandam legem particularem determinatur, quæ non deſignata materia, ſeù termino, vel ſubdito particulari & determinato ad omnes lata proprietate ſermonis ſignificaretur. Contra ſecundò: quia nequit eſſe imperium proprium abſolutè vbi ſubditi non ſunt. Sed voluntas efficax de faciendis ad extra, & intellectualis cognitio, ſiue imperatiui modi ſiue indicatiui eius voluntatis enuntiatiua de præſenti rebuſque creatis determinationem, & neceſſitatem phyſicam aſſerens, vt ſint, eſt imperium abſolutè vbi ſubditi non ſunt; ſiue

ad nullos abſolute tales ſubditos directum: ergo non eſt proprium imperium: Maior eſt per ſe nota: neque eſt minor obſcurior: ſiquidem imperium hoc eſt rebus, quæ non ſunt, vt ſint: quare rebus nullis abſolutè pro eo priori, quoad eas fertur, cum fertur: tametſi pro poſteriori naturæ ad imperium hoc, & prouidentiam; vti eius effectus, abſolutè ſint: idcirco ad Romanos 4. de hoc imperio dicitur; *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, quod imperium ſolum metaphoricum eſſe concedit Ruiz num. 14. vnde, quæ ex Auguſtino in Pſalm. 104. ad id vocauit famem ſuper terram Oecumenio & Magiſtro ſubiungit, nihil præter metaphoricam continent locutionem. Contra tertiò: quia determinatio, & neceſſitas hæc actiua phyſicè, & effectum antecedens, inuenitur in cauſis omnibus naturalibus, quibus nemo imperium proprium reſpectu ſuorum effectuum, vel parum ſanus concedet.

7. Hinc patet ſolutio ad plura ſcripturæ loca, quæ pro intellectuali hoc imperio afferri ſolent ex Geneſ. 1. *Dixitque Deus fiat lux* &c. Pſalm. 32. & 143. *ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt*: & pleraque in Euangelio ſimilia Matth. 8. *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Centurio aiebat, cuius veritatem, & fidem, admiratione etiam, Dominus probauit, qui & leproſo ibidem ait: *volo: mundare*, & cap. 9. & Marc. 2. ac Lucæ 5. *ſurge tolle lectum tuum & vade in domum*: item Matth. 14. *iube me venire ad te ſuper aquas*; & ad adoleſcentem viduæ filium defunctum. *Adoleſcens tibi dico: ſurge*, &c. & ad Lazarum. *Lazare veni foras*, & alia ſexcenta vbiuis ſcripturarum, quæ Patres imperij, præcepti, & iuſſionis nomine intelligunt, & interpretantur: cum tamen dicere actus intellectus ſit, non voluntatis: vt de diuinæ mentis verbo Pſalm. 32. dicatur. *Verbo domini cæli firmati ſunt*: & ad Hebr. 11. *Aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Nequit autem frequens, & vbique conſtans, ſcripturæ locutio metaphoricè explicari, inquit Ruiz ſect. 11. num. 10. ni rationi efficaci, & ad metaphoricam interpretationem cogenti propria locutio aduerſetur. Cæterùm, cum fere omnia loca dictionem Dei per imperatiuum modum ſint, ſi de interno intellectuali imperio Dei intelligantur Thomiſtarum Recentiorum imperium contra Ruiz, non modi indicatiui aſſertiuum, & enuntiatiuum de præſcuti quod Ruiz vult, euincunt: quod ſi iuxta hoc ob rationes, quas ipſe attingit propriè ea loca interpretari poſſe negat ob plures multoque firmiores alias contra vtrumque intellectualis imperij diuini modum à nobis adductas penitiuſque, & altius fundatas ac perpenſas metaphorico ac non proprio imperij ſenſu explicari meritò patiatur: illa ergo omnia de imperio proprio interno Dei, ſiue intellectus, ſiue voluntatis diuinæ (quod definire ſcripturæ, & Spiritus Sancti intenti de dogmatica neć ſolum opinabili, veritate tradenda fuit referebat nihili) nuſquam eſſe intelligenda reſpondeo: ſed ita efficaciam potentiæ, & voluntatis diuinæ, atque phyſicam creaturarum omnium ab illis in eſſendo, & operando nobis, & pro noſtro ſubinde captu externi imperij ſuperioris ad ſubditos, eis imperatiui vocibus explicari, quibus ad illos ſupperioris determinata voluntas de hoc vel illo determinatè faciendo intimatur: vt creaturarum omnium phyſica, & neceſſaria potentiæ, & voluntati diuinæ ſubordinatio, & ſubiectio, moralis ſubordinationis, & ſubiectionis, ſubditorum voluntati ſuperioris aptiſſimo, & appoſitiſſimo exemplo explicaretur: illa vero loca ex Pſalmo 148. & ex Pſalm. 32. explicuimus controuerſia de Trinitate d. 12. quæſt. 1. certam. 1. Catholico ſenſu imperium, & iuſſionem ad verbum non continere; ſep ſolum originis Prioritatem Patris reſpectu filij ex Patrum ſenſu, etiam eorum, qui eis vocibus largè quandoque vtuntur. Ad creaturas autem verbum ipſum proprium imperium. Athanaſ. orat. contra idola eſſe non probat ad verba Pſalmi 148. vbi nec ad verbum, (vt aduerſarij contendunt) ſed ſolum ait: ad ipſum haberi à Patre ſermocinationem ſcientiæ ſuæ origine præhabitæ communicatione: quo vero pacto verbo per ſe requiſito Deus omnia faciat, dixi ibi qu. 3. certam. 1.

8. Denique prouidentiam ad actum intellectus imperatiuè, & præceptiuè diſtantem, quid iuxtà voluntatis determinationem, atque eius præſcripto agendum ſit, pertinere probat: quia prouidentia eſt pars prudentiæ ſubiectiuè, ſiue eius ſpecies: atqui prudentia eſt intellectus virtus, præcipiens quid agendum determinate ſit, iuxta determinationem voluntatis; ergò, & prouidentia actus intellectus eſt præceptiuè dictans, quid iuxtà voluntatis determinationem ſit agendum. Maior probatur, nam prudentia à prouidendo, ſiue procul videndo dicitur, iuxta Bedam ad cap. 10. Prouerb. verſ. 23. S. Thom. 1. p. quæſt. 22. art. 1. corp. & 2. 2. quæſtion. 49. art. 6. Tullium. 1. de inuentione fol. 4. Macrob. in ſomnium Scipionis fol. 2. vnde prouidentiam dictam, fuiſſe aiebant Boetius 5. de conſolat. Proſa 6. Cicero 2. de iuuentute, & 2. de Diuinat. Auguſt. in Pſalm. 73. fin. Iſidorus 10. Etymolog. lit. P. init. vbi *prudens*, & *prouidens* indifferenter vſurpat. Minor eſt Ariſt. 6. Ethicor. cap. 9. ſub init. & cap. 5. poſt initium vbi intellectus virtutem eſſe prudentiam docet: eſſe autem præceptiuam agendorum, & ibidem indicat & expreſſius docet c. 10. à med. fatus: *Prudentia præcipua eſt, finis enim ipſius eſt, quidnam ſit agendum aut non agendum præcipere.* Quæ ſic interpretatur S. Thomas 2. 2. quæſt. 47. artic. 8. corpore. *Eſt tertius actus prudentiæ: præcipere: qui quidem actus conſiſtit in applicatione conſiliatorum, & iudicandorum ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt, quod iſte eſt principalis actus rationis practicæ, & per conſequens prudentiæ.* Reſpondetur ſub lite eſſe maiorem quibuſdam, (in quibus Vaſquez) & aliis negantibus, & ſolum partem poteſtatiuam prudentiæ prouidentiam eſſe admittentibus, de qua lite alibi nos; nec ſatis ex vocum prudentiæ, & prouidentiæ etymologia eadem probatur. Maiore vero admiſſa. Minor quoad vtramque ſui partem aduerſariorum ſenſu intentam, eſt omni prorſus probabilitate carens; neque apparenter adhuc ex Ariſtotele, & ſancto Thoma recitatis probatur, quoad primam adhuc. Nam Ariſtoteles expreſſe ait: actum de agendis præcipientem prudentiæ finem eſſe non autem prudentiæ proprium actum, ſiue prudentiam actualem formaliter, ſed effectum eius vltimum, & finem, qui extra ipſam virtutem eſſe debet. Neque enim ſui ipſius finis eſſe poteſt, indeque præcipua virtus eſt: quia reliquarum virtutum exercitiis rectis debet intereſſe: quod ſi non de fine intento, ſed de vltimo eius virtutis actu, & poſt præconſiliationem habito, nempè iudicio approbante, determinante, vnum ex variis, de quibus conſilium habitum, & præconſiliatum circa agendum, hic & nunc, fuit: illud quidem eo ſolum ſenſu laxo præceptum rationis dici poteſt, quo dictamen rationis dicitur, eſtque poſtremus actus, ad quem intra ſphæram ſuam intellectualis virtus prudentiæ extendi poteſt, & proximè, intra ſuam ſphæram tamen, agendæ (quæ rationis practicæ, & prudentiæ actus finis ſunt) pertingens: inde præcipuus prudentiæ actus eſt: in hunc ſenſum interpretabatur Ariſtotelem S. Thomas recitatus: cæterum poſt eam iudicij approbationem de medio, & modo hic, & nunc agendi liberum voluntati eſt ita eſſe agendum decernere, nullo Doctore dubitante: quare nullam affert determinationem voluntati aut potentia propriæ vel alienæ, vt ita operetur: ac proinde nec præceptum proprium eſt, vt omnes fatentur aduerſarij: ſecunda minoris pars eſt prorſus improbabilis, quod ſcilicet actus intellectus, & prudentiæ præceptiuus de rebus agendis debeat eſſe iuxta determinationem præſcriptam ab actu præſuppoſito voluntatis, intentionem voluntatis omnis actus prudentiæ, & prouidentiæ rectæ ſupponit; aſt de medio, & modo, quo obtinendum eſt, agendumque vt obtineatur electionem, & determinationem voluntatis ſupponi, inſomnium Philoſophis videretur. Audiatur S. Thom. 1. p. quæſtion. 22. art. 1. ad 3. *Prouidentia eſt in intellectu ſed præſupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis, niſi velit finem*: & quæſtion. 23. art. 4. corp. init. *Prouidentia, ſicut & prudentia eſt ratio in intellectu exiſtens præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Quibus vtrobique ſolam intentionem finis ad prudentiam, & prouidentiam ſupponi docet. Quod autem præceptiuam rationum ordinandorum in finem, ſint

agendorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

agendorum rationem eſſe dicat: laxe, vt diximus, præceptum accipit; quem ad modum regulæ facultatis cuiuſuis præcepta dicuntur, & qui eam docent, Præceptores. Quod autem rationem, & in intellectu exiſtentem eſſe aſſerat, aduerſariis non fauet: cum ſolum poſt intentionem finis eſſe, & aſſerat, & probet immò, nec nobis aduerſatur: vti ex iam probanda nobis ſententia clarebit.

---

## CERTAMEN V.

### *Diuina prouidentia, & ſcientia dirigente voluntatem ad mediorum electionem & electione ipſa æquè, & directò conſtituitur.*

1. IMperio intellectuali propriò à Dei prouidentia, immò, & interno omni pure phyſico à Deo prorſus excluſo, & relegato proximis certaminibus 3. & 4. quidquid quæſtionis reſtat de nomine, & puris vocibus eſt, vt bene iudicarunt Vaſquez 1. p. quæſtion. 87. cap. 3. fine Soar. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 17. num. 13. Herize Ioann. Præpoſitus Arriaga, & communiter Recentiores: quos immerito reprehendit Ruiz d. 3. ſect. 1. num. 8. quia præter examen illud de iis, quæ prouidentia dicat in recto, vel in obliquo, an ſcilicet ſcientiam in recto, & voluntatem in obliquo? an hanc in recto, & in obliquo ſcientiam; an in recto vtramque? (quas de puris vocibus quæſtiones eſſe fatetur) magna de re quæſtio ſit: an præter ſcientiam dirigentem mediorum propoſitione, & imperium intellectuale ad prouidentiam ſaltem complendam requiratur? Ego vero neſcio, an extremum defendere non magna ſolum, ſed maxima res ſit, ac difficillima: in ea verò quæſtione, quam ipſe cum reliquis de puro nomine eſſe meritò fatetur ea pars ſeligenda eſt, quæ pro priori vocum acceptione rem ipſam veritatis videtur attingere.

2. Dicendum igitur nobis eſt: Prouidentiam omnem, quare, & diuinam propriè, & ex parte rei obiectæ duos illos actus, & ſcientiæ mediæ proponentis & ſaltem apta ad præintentum approbantis, atque ad eorum electionem dirigentis, ac inſuper electionem ipſam, nihilque aliud, ipſam directe, & ex æquo prouidentiam eſſentialiter conſtituere. Ita Doctores omnes citati certam. 1. numer. 11. pro ſententia 3. Probatur primo ex Paulo ad Romanos 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit*: ergò, prædeſtinatio aliquid ad præſcientiam, ſeù actum intellectus addit: quod quidem nil aliud, quam voluntatis actus, qui deſtinatione proprie ſignificatur, eſſe poteſt, ea vtique præſcientia de mediis directis: ergo, & prouidentia, cuius ſpecies prædeſtinatio eſt, atque ab aliis prouidentiæ ſpeciebus non forma, ſed materia diſtinguitur. Confirmatur ex Auguſtino de dono perſeuerantiæ cap. 18. vbi illud ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* Ita interpretatur. *Quod*, ait, *præſciuit non rectè intelligitur, niſi prædeſtinauit*: quia, etſi præſcientia pars prædeſtinationis ſit: aſt, niſi actus voluntatis prædeſtinationis voce expreſſus accedat, prædeſtinatio abſolutè, & adæquatè non eſt. Confirmatur vlteriùs, & expreſſius ex eodem Auguſtino ibi ca. 14. ita prædeſtinationem ex inſtituto definiente. *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*: vbi vtrumque, & præſcientiam mediorum gratiæ, & eorum præparationem in ſua voluntate, & ipſorum electione ad eſſentiam prædeſtinationis explicandam in recto, & ex æquo aduocauit. Confirmatur 3. ex eodem Auguſtino de prædeſtinatione ſanctorum: cap. 10. vbi ſuæ huic doctrinæ conſonus, & inſiſtens ſcrib. *Prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia*: quia pars, ſine toto eſſe poteſt; totum autem ſine parte eſſe nequit, & cap. 17. de dono perſeuerantiæ, *in ſua quæ falli, mutarique non poteſt præſcientia opera ſua diſponere; id omnino neque aliud quidquam eſt prædeſtinare.* Ecce diſpoſitionem, quæ voluntatis eſt non niſi in ſua, ſiue cum ſua præſcientia, prædeſtinationem eſſe docet.

3. Auguſtinianæ doctrinæ addictiſſimus Fulgentius, & hanc ſententiam ex ipſo videtur ebibiſſe 1. ad Monimum. cap. 7. fatus. *Prædeſtinationis nomine, &c. miſericors, & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur.* Diſpoſitio autem, etſi voluntatis ſit, ſine diſponendorum ſcientia non eſt, & rurſus. *Prædeſtinatio eſt præparatio operum eius*: quæ vtrumque ſane actum importat: vterque vero videtur definitionem ex Boëtio didiciſſe 4. de conſolat. proſa 6. Sic prouidentiam vniuerſim definiente. *Diuina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, qua cuncta diſponit.* Nyſſenus 8. Philoſoph. cap. 2. ſeu potius Nemeſius de animæ facultatibus cap. 43. *Rerum procuratio à Deo ſuſcepta*: & rurſus, *voluntas Dei per quam omnia quæ ſunt, aptè gubernantur*; atque iterùm *prouidentia eſt procuratio Dei circa ea quæ facta ſunt.* Damaſcenus 2. de fide cap. 29. *Quæ ex Deo eſt in ea quæ ſunt cura*: item *voluntas Dei per quam omnia quæ ſunt conuenientem habent gubernationem.* Hugo victorin. apud Alenſ. 1. p. qu. 26. m. 2. *Prouidentia eſt cura rerum.* Cura autem, & procuratio rerum, haud dubio, non ſolum ſcientiam, vt clientis commoda cognoſcat Procurator, & penetret, ſed, & voluntatem ea applicandi, & diſponendi pro bono ipſius includit; neque alicui proſpicere (quod idem eſt ac prouidere (is dicitur, qui ei profutura ſolummodo nouit, ſed qui ea apponere vult, ac diſponit; inde quaſi per cauſam prouidentiam definiuit. Theophilus Anthiochen. cap. 1. ad Antiloc. verbo vno aſſerens *eſſe bonitatem Dei*: inde enim rerum à ſe factarum commoda quaſi indagare eaque ipſis diſponere voluntate ſua Deus habet. Vnde Boëtius vbi proximè, aiebat, *Omnia gubernari bonitate Dei.* Quoniam verò vtrumque, & ſcientiæ, & voluntatis diuinæ actum Dei prouidentia claudit recitati, ac reliqui Patres, alterutro illam quandoque exponunt, non excludentes alterum, ſed, vt quid notiſſimè ad prouidentiam pertinens, ſupponentes. Quo teſtimoniis pro prima, & ſecunda ſententia certam. 1. memoratis fiet facile ſatis, & quæ pro prima prouidentiam in ſcientia ſola conſtituente circumferuntur vocis, etymologiæ ſolum intendunt; quæ verò pro ſecunda illam in ſolo voluntatis actu animi curam, ſolum, & beneficam anxietatem, vt ſic loquar, intendunt.

4. A ratione probatur primò concluſio argumento à paritate appoſitiſſimo: etenim Dei auctoritas in teſtificando, & veritate eius infallibili in cognoſcendo, & iudicando de reuelandis, & teſtificandis, quæ eſt quaſi paſſiua eius infallibilitas, & veracitate, quæ eſt impoſſibilitas actiuæ alios dicto ſuo fallendi illud cum iudicio ſuo non conformando, directè, & ex æquo eſſentialiter omnium ſententia conſtituitur; tametſi teſtificandi veracitas iudicij infallibilitatem ſupponat: quia ſine vtroque teſtimonij auctoritas diuina non conſtat. Aſt ſine ſcientia proponente media apta ad finem, & eorum electionem dirigente, etſi voluntas ea velit apponere efficaciter, de factoque ex creaturæ cui proſpicit amore, & complacentia apponat, cæco & fortuitò & vult, & apponit, nuſquam verò proinde; Si autem media perfectiſſimè percalleat, non autem ea eligat, non prouidet creaturæ; ergo, etſi electio mediorum poſterior natura ſit ſcientia mediorum ad electionem dirigente, prouidentia vtroque actu conſtabit: ſicuti diuini auctoritas teſtimonij, & iudicij infallibilitate, ac indefectibili veritate atque diuina veracitate Dei dicentis directè, & ex æquo conſtituitur per omnes quia abſque alterutra diuini teſtimonij auctoritas non conſtat; tametſi altera alteram, quaſi phyſicè ſupponat, ſitque ea poſterior.

5. Secundò: quia in duobus ſine quibus nequit totum quod res aliqua importat ſubſiſtere, rectum, & obliquum ex parte rei obiectæ non eſt; ſed eſt ſolum ex parte modi noſtri concipiendi, vt ſæpè in ſimilibus monui: totum autem, quod prouidentia dicit, eſt præparatio mediorum, quod voluntate fit, ac non cæca & ignorans,

quæ

quæ per ſcientiam, qua cæcitas, & ignorantia mediorum formaliter depellitus, formaliſſime præſtatur: ergo neutra in obliquo ſed vtraque in recto prouidentiam ex parte rei obiectæ eſſentialiter conſtituit. Secunda hæc ratio totum ſecundæ ſententiæ (in ſolo actu volitionis, ſiue electionis mediorum prouidentiam ſtatuentis, fundamentum eneruat. Etſi enim electio illa, ſicut quiuis alius voluntatis actus, ſcientiam obiecti proſequendi neceſſariò requirat, & tamen eſſentialiter non conſtituatur in recto, ſed tantum præſupponat, & connotet in obliquo, tanquam neceſſarium quid ex parte obiecti, vt eius proſecutiuum actum voluntas eliciat; at verò actus ipſe voluntatis nullatenus ſcientia obiecti, vel intellectus eſt, ſed ſolius voluntatis ea ſcientia ſolicitatus, & oriundus. Prouidentia verò, etſi, qua parte electionem mediorum continet, ſcientiam ſolum præſupponat, & connotet; qua vero ſapiens ſciens formaliter, & prudens non autem ignara, & cæca eſt formam ipſam ſcientiæ mediorum eſſentialiter claudit.

6. Dixi nihil aliud prouidentiæ eſſentiam conſtituere præter mediorum, ſeu agendorum ad finem rei cui per ipſam prouidetur ſcientiam, & electionem: quia decretum de re cui prouidetur toti prouidentiæ præcedit, eiuſque executio, vt dicam. d. 3. qu. prima certam. 2. Nil item vlterius vt probatum eſt certam. 2. 3. & 4. quibus intellectuale omne imperium, ſiue imperatiui, ſiue indicatiui modi, quod electione poſterius à nonnullis ad prouidentiam inducebatur ab ea exterminauimus, ſed neque prius: quia his prior ſola intentio finis eſt: ex qua de mediis, & agendis ad eius conſecutionem prouidetur: quare non magis ad prouidentiæ eſſentialem conſtitutionem vocari poteſt, quam cauſa quæuis ad conſtitutionem ſui effectus. Demum excluſiuam hanc cæterorum omnium concluſionis noſtræ partem expreſſè docuit Auguſtin. cap. 17. de dono perſeuerantiæ recitatus numero ſecundo explicandum hic videbatur, quod ſcientiæ genus directiuum electionis mediorum, & cuius conditionis mediorum, tam ſcientia dirigens, quam electio directa eſſe debeant, vt prouidentiam conſtituant; aſt prouidentiæ vniuerſim ſumptæ nullum ſcientiæ genus, & conditio ſpecialiùs, ſiue ipſius, ſiue mediorum eligendorum aſſignari poteſt, quæ in aliqua prouidentiæ ſpecie non deficiat: quare, cum ſpecies prouidentiæ recenſeamus, & explicemus, ſua cuique ſcientia electionis mediorum, & agendorum directiua eiuſque, & electionis materia, ſeù obiectum opportunius aſſignabuntur.

## QVÆSTIO II.

### *De Prouidentiæ in ſuas ſpecies diuiſione, & earum explicatione.*

CVm ſcientia directiua electionis mediorum, ſeù agendorum ad præſtitutum rei prouiſæ finem obtinendum, & horum electione eſſentiam prouidentiæ conſtituerimus, ſit plane ex ſcientiæ, & electionis, atque obiectorum vtriuſque diuerſitate diuidi in ſuas ſpecies prouidentiam poſſe: ea autem diſtinctione, & diuiſione loquimur, quam actus ſcientiæ, & voluntatis, qui vniſſimi Deo phyſicè ſunt, patiuntur, iuxta dicta tom. 1. de Deo vno, & hoc 2. controuerſiis de ſcientia, & voluntate Dei.

## CERTAMEN I.

### *Diuinæ Prouidentiæ ſpecies omnes ex obiectis, & actibus recenſentur.*

1. EX obiectis, & ſubiectis, quibus prouidetur ſumitur prouidentiæ diuinæ diuiſio. Cum enim à ſubiectis, quibus prouidetur, & mediis, per quæ prouidetur, quædam cauſæ naturales, & neceſſariæ in operando ſint, & media item, per quæ ipſis prouidetur, ſint etiam effectus neceſſarij, prouidentia de neceſſariis, & obiectiuè, ſiue ex parte obiecti neceſſaria erit; ex parte verò ſubiecti libera, vt hæc determinata, & per hæc determinata media eſt; tametſi per hæc, vel alia quibus prouideri poſſet ac de facto prouideretur, non ab alio quam à Deo prouideretur iuxta dicta tota diſput. 1. maximè quæſtion. 4. Hanc ſubiectiuam diuinæ prouidentiæ neceſſitatem conditionatam non abſolutam eſſe inde ſatis conſtat: quod ſemel producta quæuis in primo inſtanti è ſupremo ſuo in creata omnia dominio Deus pro ſecundo inſtanti, ſubtractione ſola concurſus, deſtruere, & annihilare (vt ſcholaſtici loquuntur) pro ſuo libito poteſt: quibus ſublatis prouidentia de ipſis eſſe non poſſet. Sed neque vlla fuiſſet adhuc pro inſtanti primo quo fuiſſent: cum rei nullius prima productio prouidentia reſpectu ipſius ſit: vt docuimus ex Patribus S. Thoma, & ratione quæſt. 1. certam. 5. num. 6. & 7.

2. Sin autem ſubiecta, & media, atque agenda ad præſtituti finis conſecutionem libera in actu primo, & indifferentis poteſtatis ad vtrumuis ſint, liberam, ac non naturalem obiectiuè, ſiue ex parte obiecti cui prouidetur, & mediorum, atque agendorum per quæ prouidetur prouidentiam eſſe certum omnibus eſt: cum nihil aliud ſit liberam obiectiue, ſiue ex parte obiecti prouidentiam eſſe quam eſſe liberum & ſubiectum & obiectum circa quæ verſatur: quare diuina prouidentia meritò in naturalem, & liberam, ſumpta alterutrius denominatione è ſubiectis & obiectis cuiuſque primò diuiditur. Eſt autem aduertendum practice, & vt ripſit Deus creaturis, ſiue naturalia entia, ſiue libera ſint, prouidet, Dei prouidentiam erga alterutra adæquatè ſumptam à prouidentia erga altera adæquatè ſumpta ſecundum ſe totam minimè differre. Siquidem, & media eligit ac interſerit libera, vt de ſuis effectibus ad finis aſſecutionem agentibus naturalibus prouideat: vt libera manus noſtræ ignis applicatione ad combuſtibile, vt calorem inducat, illudque igne faciat: & libero Angelorum bonorum, ſeu malorum miniſterio ad cauſarum naturalium extraordinarium confluxum ad pluuias beneficas, vel ad terrificas inde neceſſariò ortas tempeſtates, quod ſi hæc ad iuſtos exercendos ac reducendos peccatores ordinentur: iam media hæc naturalium, ac neceſſariorum effectuum liberis agentibus, ad finis ipſis præſtituti aſſecutionem in eorum prouidentia miſcentur.

3. Rurſus prouidentia, ex parte etiam obiecti diuiditur in naturalem, & ſupernaturalem, quod ſi de naturalitate, & ſupernaturalitate quoad ſubſtantiam loquamur diuiſio hæc, non prouidentiæ vniuerſim ſumptæ diuiſio eſt, ſed alterius membri diuiſionis primæ; nempè prouidentiæ liberæ ſubdiuiſio: in qua dubio procul media, & plura agenda ſupernaturalia, quo ad ſubſtantiam, ad finis ſupernaturalis beatitudinis æternæ conſecutionem intercedunt: vt fidei, ſpei, & charitatis habitus & actus: gratiæ inſuper, formaliter ſanctificantis, gratumque Deo operantem conſtituentis, eiuſque honeſta opera quæuis ad condignitatem meriti vitæ æternæ eleuantis, habitus. Conſulto inter media quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, non memoro gratiæ auxilia, quæ ad ſalutis noſtræ negotium frequenter in-

percedunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tercedunt, atque ad honeſtum vndequaque, & bonum opus morale quodvis requiruntur: quia, an ad eiuſmodi bonum opus, quod gratiæ habitu accedente meritorium de condigno augmenti gratiæ, non autem ea gratia adſtante, de congruo ſolum, & eodem modo vitæ æternæ: ad quam congruitate quadam mediatè conducat, anſamque porrigat Dei bonitati auxilium gratiæ ſupernaturale, quoad ſubſtantiam neceſſario intercedat? quia hac de re grauiſſima, (ſi quæ alia in Theologia) lis inter Vaſquiſtas, & Soariſtas eſt multa accurata eruditione, & d. à nobis dirimenda tom. I. de ente ſupernaturali (Theologiæ noſtræ 5.) controu. 2. an ad quodvis bonum opus morale, quovis modo, & gradu ad vitam æternam conducens gratia Dei per Chriſtum, etiam quoad ſubſtantiam, ſupernaturalis requiratur, nec talis quoad modum tantum ſufficiat? libera vero prudentia naturalis ea erit quæ ad naturale quidpiam ab agente libero, & liberè obtinendum de mediis, & agendis prouideat: eaque ad actus indifferentes, nec ſaluti æternæ noxios, nec proficuos, qui à pleriſque in nobis magna probabilitate admittuntur, ſubſeruiet.

4. Quod ſi de prouidentiæ naturalis, & ſupernaturalis quoad modum tantum diuiſione loquamur: tam prouidentiæ naturalis, quã liberæ ſubdiuiſio eſſe poteſt. Cum enim ſupernaturalitas mediorum, ac rerum quoad modum tantum in eo ſtet, vt quamvis res, aut medium eligendum, & apponendum intra virtutem actiuam, & exactiuam cauſarum naturalium ſit, ac proindè neque naturæ totius actiuitatem, & exigentiam ſuperet, & excedat; tamen hic & nunc, vt naturali fluxu, & curſu cauſæ pergunt, aut pergerent, nec medium, aut res illa ab eis fieret, neque exigeretur. ni Dei abſque naturalium rerum exigentia, & pro libito ſolum ſuo, cauſarum indebita coniunctio, ex qua medium illud apponeretur, reſque vel effectus abſolutè prodiret diſponeretur; vel abſque ea coniunctione, & confluxu cauſarum, hic, & nunc indebito, vel ſe ſolo Deus cauſæ abſentis concurſum ſupplens, medium vel rem ad finem intentum abſolutè eligeret, & apponeret: id quod, cum tam reſpectu cauſarum, & effectuum naturalium, quam liberorum poſſit Deus pro ſuo arbitrio, dominio, & poteſtate præſtare ex finis cuique earum præfixi intentione, vt eum, vel naturalis: vel libera cauſa aſſequatur: fit ſane: vt ſupernaturalis quoad modum tantum prouidentia, tam in naturali, ſeu neceſſaria obiectiuè, quam in libera ex parte obiecti habeat locum. Vtraque verò prouidentia quoad modum ſolum ex parte obiecti naturalis, & ſupernaturalis aliter nominari vulgò ſolet: nempè prouidentia ordinaria: quia de lege ordinaria naturæ, & cauſarum naturalium exigentiæ, & quaſi iuri diuina prouidentia ſtat; cum autem ius & exigentiam hic & nunc naturæ, & cauſarum naturalium in mediis diſponendis & apponendis non attendit, ſed negligit, atque ordinaria illa naturæ lege ſolutus operatur rebuſque prouidet è prouidentia extraordinaria ſe gerit: ſic Aſtrologis inopinatas pluuias, grandines, cælique, & aëris tempeſtates, terræ motus, monſtra, ac portenta diſponit, ac producit,

5. Ex parte verò prouidentiæ ipſius obiectiuè, ſiue ex parte obiecti, liberæ, quoad intrinſecum ſui, ac Dei ipſius alia diuiſio, & diuerſitas eſt: eſt ſiquidem prouidentia vna, qua media etſi de ſe indifferentia, tamen ab extrinſeco efficacia ad finis intenti conſecutionem agenti libero prouidet (ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, quoad modum, & ſubſtantiam prouidentia ſit) vt patet in prouidentia, qua prædeſtinatis prouidet de mediis ad vitæ æternæ conſecutionem. Eſt item alia prouidentia, qua de aptis, & ſufficientibus quidem mediis ad finis conſecutionem non autem efficacibus agentibus liberis à Deo prouidetur: vt patet in mediis, de quibus Deus non prædeſtinatis prouidet ad finis gloriæ conſecutionem, quam ipſis ſerio vult abſolutè, atque deſiderat, vt vidimus tom. hoc controuerſia de voluntate. Et, quamvis exempla hæc in prouidentia libera ſupernaturali, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad modum, ſint poſita, vtraque tamen prouidentia de mediis efficacibus, & ſufficientibus purè naturalibus ad purè naturalem finem conſequendum: quare, & prouidentiæ purè naturalis in vtramque diuiſio habet locum, vt patet. Dixi hanc diuiſionem ſecundum intrinſeca prouidentiæ, Deoque ipſi, fieri mente noſtra rectè poſſet. Nam prouidentia de efficacibus tantum mediis eſſentia ſua ſcientiam mediam directiuam electionis ipſorum claudit; quæ autem de ſufficientibus ſolum mediis eſt, medium conditionatorum contingentium ſcientiam non includit, vt certamine 2. vniuerſim, & ſpeciatim de prædeſtinatione controuerſia 7. & de reprobatione controuerſia 8. oſtendemus. De actu etiam electionis, & voluntatis mediorum efficacium vni prouiſorum, ſolumque ſufficientium alteri, videtur in prouidentia de alterutro intrinſeca, & prouidentiæ & Deo ipſi diuerſitas, vt amplior gratia, & beneficium collatum vni præ altero ſuadet: maximè, ſi ad finalem iuſtitiam in poſtremo tentationis conflictu conſeruandam, vel pœnitentiam adquirendam, ea collatorum mediorum diuerſitas ſit. Verum ea diuerſitas ſpeciem affectiuæ electionis mediorum erga vtrumque non variat, ſed ſolum intra ſpeciem eandem probat eſſe erga vnum quam erga alterum, affectiuè, & dilectiuè maiorem: quare & quaſi accidentariam alterius ab altera prouidentia, non autem ſpecificam diuerſitatem.

6. Maior lis Theologis nonnullis de præfatis prouidentiæ diuiſionibus aliundè conſideratis, an generis in ſpecies ſint? affirmaſſe videtur Sanct. Thom. in 1. d. 40. quæſtione 1. articulo 2. vbi Durand. quæſt. etiam 1. num. 6. Capreol. quæſt. vnica, articulo 1. concluſione 2. & communiter interpretes, in 1. part. quæſtio. 22. conſentiunt. Marſilius in 1. d. 41. articulo 1. Camerarius Dialog. Cathol. cap. 1. §. 4. Soarez 1. de prædeſtin. cap. 18. Herize cit. d. 22. cap. 7. num. 66. Negat verò Vaſquez 1. part. d. 87i cap. 5. num. 23. & Magiſter meus Didacus Daza citato manuſcripto de prouidentia in quæſt. logicæ quam Theologicæ diſputationi aptiore, cenſeo de re non poſſe Theologos decertare: ſi enim ſcientiæ, & volitionis diuinæ actus ſecundum intrinſecum accipiantur indiuiſus actus ſcientiæ obiectorum, & vnius phyſicè, ac metaphyſicè etiam inſectilis eſt: quod ipſum de actu voluntatis diuinæ ſuis propriis controu. & locis oſtendimus: quo ſolum ſenſu negantes Doctores loquuntur, neque affirmantes contradicunt. Cæterum, cum iam vſus Theologorum obtinuerit, vt pro diuerſitate ſtatus obiectorum (immò & obiecti eiuſdem) Dei ſcientia, quaſi ſpecificè, diuidatur apud omnes in ſcientiam neceſſariã, ſeu ſimplicis intelligentiæ & ſcientiam viſionis, ſeu liberam de abſolutè nimirum exiſtentibus rebus pro ſua duratione etiam abſolutè liberis: noſtraque ſchola ſocietatis ſpeciem aliam ſcientiæ inter vtramque mediæ, re à priſcis traditam Patribus, & Theologis propria ſcientiæ mediæ, ſeu conditionatæ nomenclatura docuerit, altè fundauerit, atque luculenter explicuerit, pro ſtatu futurorum contingentium conditionatorum, à duobus poſſibilitatis, & abſolutæ libertatis, & futuritionis diuerſo, fit ſane primo: prouidentiam, quæ ſcientiam conditionatam contingentis ad electionem mediorum directiuam eſſentia ſua claudit, &, quaſi ſpecifica differentia, ab alia quæ illam eſſentia ſua non claudit differre: fit inde ſecundò: vt ex obiectorum, & mediorum ſeu agendorum entitatiua, vel morali diuerſitate eodem modo, & ſcientiam, & electionem: ac ſubinde prouidentiam, quaſi in ſpecies minutiores, ſimili Theologica loquendi facultate ſubdiuidere poſſimus. Nec de his plura.

## CERTAMEN II.

### *Scientia naturalem, & liberam prouidentiam cum mediorum electione conſtituens, atque huius conditio explicatur.*

1. DIximus ſcientiam, quæ prouidentiam quamvis conſtituat, electoni, quaſi natura præuiam, eiuſque directiuam eſſe debere: idque ita probauimus q. 1. à certam. 2. & maximè certam. 5. vt vlterius ſupponendum ſit, non probandum. De electionis verò conditione agendum hic tantum eſt non de natura, qua, & finis intentionem eſſentia ſua ſupponit, cum ad mediorum inquiſitionem, ſi non præſto menti adſint, & occurrentium ad concluſionem de ipſis, & iudicium ferendum de potiori, ſecuriorique ad finis conſecutionem, ſi ex tota, qua poteſt intentionis ſerietate eligendum ſit: tum denique ad electionem mediorum ipſam, quæ abſque finis intentione eſſe non poteſt. De electionis ergò conditione ſolum hic agitur, & breuiter quidem. An ſcilicet efficax eſſe debeat mediorum, quæ eligit, voluntas, & electio? an ſatis ſit eſſe inefficax deſiderium ſaltim ſerium, quod tamen abſolutam efficaciam non pertingat: quemadmodum de intentione, & deſiderio diuino ſalutis omnium, etiam reproborum, ſerium, ac non perfunctorium eſſe oſtendimus controu. de volunt. non tamen abſolutè efficax, immò neque ſalutis prædeſtinatorum per merita liberoſque actus obtinendæ intentionem Dei quantumvis ſeriam ex parte Dei, ſeu quatenus in ipſo eſt, efficaciam abſolutam pertingere non poſſe oſtendemus controu. 7. de prædeſtinatione ex acto principio controu. de voluntate. Breuiter ergo vt dixi, & ex omnium ſententia dico electionem mediorum, qua prouidentia conſtituitur debere eſſe abſolutè efficacem, & mediorum effectiuam, non ſatis eſſe efficaci remiſſiorem, & ſegniorem, quantumvis eam infrà abſolutam efficaciam ſeriam adſtruas. Ratio eſt: quia quantumvis quis deſideret media, dummodo ea abſolute non apponit, res exterius non gubernat, nec diſponit ad finem: ergò, quovſque ea efficaciter velit apponere, non prouidet de mediis ad finem. Ne verò putes prouidentiam vltra efficaciam electionis abſolutam mediorum eligendorum efficaciam requirere, vt non nulli hallucinari videntur: poteſt vera prouidentia electione mediorum ſufficientium quidem, non autem efficacium conſtitui, vt ſatis inſinuauimus hactenus, & hac controuerſia de voluntate d. de affectibus Dei creaturarum proſequutiuis.

2. De ſcientia verò electionis directiua (vt eſſe debet, quæ prouidentiam conſtituat) explicare oportet: quænam ex ſcientiis ſimplicis intelligentiæ, & viſionis electionis, cum qua prouidentiam conſtituat directiua ſit? & viſionis mediorum, ac effectuum ſcientiam eſſe non poſſe, & diximus, & de ſe patet: cum media, & effectus ipſa abſolutè ſequentes, abſolutam electionem, & ſcientiam eius directiuam, quare & prouidentiam, adæquatè conſtitutam ſupponant, quarum affectus abſoluti ſunt. De ſcientia ergo ſimplicis intelligentiæ, & media (quæ ſolum reſtant) poteſt eſſe diſputatio, cuius definitio pro omni ſpecie prouidentiæ nequit eſſe prorſus eadem. Quare de prouidentia naturali, & neceſſariâ ex parte obiecti, ſiue, quæ de cauſis, & effectibus naturalibus, & neceſſariis habetur, ſeorſim, & de obiectiuè libera, ſeu, quæ erga agentia libera liberoſque effectus verſatur, ſeorſim etiam definiendum erit: vtra ex eis ſcientia electionis mediorum, ſeu agendorum ad finem rei, cui prouidetur, cum eiuſmodi electione prouidentiam eſſentialiter conſtituat: & quidem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cum de poſſibilitate finis, & mediorem, & agendorum omnium ad finem ad vtramque prouidentiam præſupponi, certum, conſtanſque apud omnes eſt: cum vera, ſeriaque finis intentio, quæ ad omnem prouidentiam eſſentialiter ſupponitur, incognita finis poſſibilitate concipi, haberique à Deo non poſſit: immò neque ab homine, ni poſſibilis finis exiſtimetur (ſaltem per errorem) ea vero poſſibilitas per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ à Deo cognoſcitur: ſimili ratione probatur ſcientiam de mediorum eorumque conducentiæ ad finem intentum poſſibilitate electionem ipſorum, & ſubinde prouidentiam, debere, vt mininum, præcedere: quia electio mediorum, & agendorum ad finis conſecutionem, non vtcunque ſeria ipſorum voluntas, ſed abſolutè efficax eſt, quæ incognita eorum poſſibilitate haberi nequit: & hæc quidem apud Theologos omnes communia ſunt, atque indubitata.

3. Lis ergo apud ſcholaſticos ea ſolum eſſe poteſt: vtra ex eis ſcientiis ſimplicis intelligentiæ, & conditionata prouidentiæ naturali, & neceſſariæ, & liberæ ex parte obiecti, vt explicuimus, proximè, & immediatè, ſeù vltimo directiua ad electionem mediorum, & agendorum ad præintentum finem ſit, vt cum electione ipſa, quam proximè, & vltimo dirigit, prouidentiæ eſſentiam (vt diximus quæſtione prima, certamine quinto) conſtituat? An pro vtraque prouidentia ſola ſimplex intelligentia ſufficiat? vel ſola ſcientia media, vel altera ex his pro altera, altera verò pro altera ſolum ſit ſatis? In hac vero quæſtione dicendum primo cum omnibus Theologis eſt: in prouidentia naturali, ſeu neceſſaria ex parte obiecti, ſolum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate mediorum, & agendorum, & conducentiæ ipſorum in finem eſſe immediatè proximè, & vltimo directiuam electionis: ac ſubindè, iuxta noſtram ſententiam, contra aliquot Thomiſtas, & noſtrum Ruiz, probatam quæſtione 1. ferè tota eam ſolam ſcientiam eſſentiam prouidentiæ naturalis cum electione per ipſam directa conſtituere. Ratio eſt data: quia reſpectu mediorum naturalium, ac reliquorum agendorum in prouidentia pure naturali, ex parteque obiecti neceſſaria, & mediorum actiuitas, conducentia ad finem naturalis, ac neceſſaria, nuſquamque indifferens ad vtrumvis eſt, neque agendorum ſiue effectuum aliquid eſt liberum: atqui reſpectu cauſæ naturalis, & neceſſario operaturæ, atque agendorum, ſeu effectuum non liberorum ſola datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ pro priori ad ipſorum electionem, & executionem abſolutam: ergò ea ſola eſt directiua immediatè proximè, & vltimo ad mediorum, & agendorum electionem, vt finis obtineatur.

4. Dices: tota determinatio actiuitatis, & exigentiæ cauſarum naturalium mediorum, & agendorum ex prouidentia hac naturali obiectiue ſubditur arbitrio Dei, qui pro libito poteſt eis concurſum ex parte ſua ad effectus edendos denegare, vt ſæpe cauſis naturalibus denegauit: idque poſterius natura ad eorum electionem, & abſolutam poſitionem, quorum abſolutam exiſtentiam, concurſus diuini exigentiam abſolutam expectat, & præuidet abſolutè, vt cum ipſis concurrere annuat abſolutè, vel renuat: ergò ex ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate mediorum, & cauſarum naturalium nequit immediatè, & vltimo ad illorum electionem procedere; ſed debet præterea etiam eiuſmodi electioni naturalium mediorum, & agendorum ſcientia conditionata de decreto concurrendi libero Dei, ſi ea naturalia media adhibeantur. Reſpondetur prouidentiam purè naturalem, & ex parte obiecti neceſſariam ex intentione efficaci finis abſoluta ſemper à Deo haberi: ex qua intentione ad ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ex parte ipſius ad finem obtinendum, præſtanda antecedenti neceſſitate tenetur: cum autem eis mediis naturalib. electis, & poſitis abſolute & decretum concurrendi, & concurſus Dei cum illis neceſſaria ſunt: non eſt Deo liberum decretum concurrendi: quare, nec ſub hypotheſi electionis mediorum ex ea intentione habitæ contingens conditionatè eſt Dei decretum, & concurſus, vel eius negatio, ſi hæc ex prouidentia naturali purè ad finem aliquem ſint apponenda. 2. ſi eam finis intentioné ex qua prouidẽtia & pure naturalis, & neceſſaria ex parte obiecti mediorum electio habetur efficacé abſolutè vocari nobis, aſt ſeriam illam intentioné finis eſſe negare non poteris:

quo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quo autem pacto ſeria finis intentio erit, ſi id ſine quo finis obtineri abſolutè nequit, atque in ſua tantum voluntate, & poteſtate eſt, præſtare nolit, & apponere: nempè decretum concurrendi? quare ex ſeria illa intentione finis nequit non ad decretum concurrendi cum cauſa naturali antecedenter neceſſitari: ne intentio illa non ſeria, contradictoriè eſſe poſſit, quæ ſupponitur, atque eſſentia ſua ſeria eſt: ſicuti ex ſeria intentione ſalutis reproborum, ex qua auxilium, ſaltim ſufficiens, confert, & decretum concurrendi ex parte ſua apponere, ob eandem rationem tenetur: quia ex parte actus primi ſublato, auxilium ſufficiens non eſt, neque conſenſus ad ſalutem neceſſarius in poteſtate abſoluta voluntatis.

5. Dicendum eſt ſecundò: ad prouidentiam liberam ex parte obiecti ortam ex intentione diuina ſeria finis liberè à creatura rationali, ſiue agente creato libero obtinendi (non tamen ſeria tota ſerietate, qua Deus finem liberè à creatura obtinendum, ſeu quemvis liberum eius actum, citra efficaciam adhuc poteſt intendere) ſola etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ immediatè proximè, & vltimo directiua electionis mediorum ſufficientium eſt; & cum hac ex æquo eiuſmodi prouidentiam conſtituens. Hanc concluſionem non video ita apud Doctores expreſſam, immò, cum de prouidentia vniuerſim erga actus liberos diſputant, & ſolam prædeſtinationem (quæ perfectiſſima prouidentia eſt) attendunt, concluſioni huic quotquot ſcientiam mediam admittunt ſæpè videntur aduerſari ſcientiam mediam eſſe directiuam electionis mediorum in omni prouidentia libera ex parte obiecti ex intentione finis, ſeu actus liberi à creatura obtinendi, vel ſupponentes paſſim, vel obiter aſſerentes, vt videre eſt in noſtro Ruiz: tametſi, tam hic, quam cæteri, cum de prouidentia erga reproborum ſalutem agunt noſtræ generali huic doctrinæ in illa ſpecie prouidentiæ ſuffragentur. Cæteris fuſiùs magiſque ex inſtituto noſtræ huic concluſioni aduerſatur Herize noſter de prouidentia d. 22. cap. 3. à numero 25. vbi ad diuinæ prouidentiæ perfectionem ſpectare vniuerſim, & abſolutè ait, præſcire, quid ex medio, quod electurus ad intentum finem, præſtiturúſque eſt, eueniet. Si donetur: vnde & imperfectam forè Dei prouidentiam, quæ eiuſmodi conditionata præſcientia ad electionem mediorum non dirigatur. Sed tamen cap. 7. numero 60. §. *Reſpondeo* ad noſtram doctrinam, ſicut & alij, ſe recepit: negans electionem medij ſufficientis in non prædeſtinatorum prouidentia haud quaquam ſciencia media dirigi, ac regulari.

6. Probatur concluſio noſtra vniuerſim, quia ſeria, ac vera abſolutè intentio Dei de actu libero noſtro, ſeu fine alio per actum liberum noſtrum obtinendo, ſatis habet, ſi talis intentio ſit, ex qua moueri poſſit, de factoque moueatur Deus ad eligendum, præſtandumque nobis medium, vt poſſimus, atque noſtræ abſolutæ poteſtatis ſit actum intentum à Deo elicere, ſeu intentum alium ab ipſo finem per liberum noſtrum actum obtinere: atqui ad huius medij electionem ſufficit præceſſio, & directio ſolius ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, nec poteſt præcedere, & dirigere ſcientia media, ſeu conditionata de eo, quod libere à nobis eueniet, aut fiet, ſi tale medium nobis donetur: ergo ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem media de eo, quod eueniet, atque à nobis fiet, ſi illud medium nobis præſtetur, prouidentiam liberam ex ea intentione ortam conſtituet. Maior probatur: voluntas enim finis de ſe motiua electionis medij apti ad eius conſequutionem, non eſt complacentia de pura poſſibilitate finis (adhuc in ſententia nobis confutata controu. de volunt. de complacentia Dei in rerum poſſibilitate pura) ſed exiſtentiæ finis verum, nec perfunctorium, ſolum deſiderium, & intentio. Minor probatur primò: quia medium ſufficiens tantum ad finem, qua ſufficiens ſolum, dicit poſſibilitatem actiuam efficiendi, quatenus ex parte eius eſt, cum voluntate, cui donatur actum liberum, & eo medio finem vlteriorem, ſi finis vlterior intentus à Deo eſt, ac ſubindè poſſibilitatem paſſiuam actus liberi, ſeu finis vlterioris intenti, vt eo medio præſtito à voluntate fiat: atqui ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcitur à Deo eiuſq; voluntati proponitur, vt eligat hæc, & omnis poſſibilitas obiectorum creatorum, atque eorum exiſtentiam, quæ eſſe, vel operari poſſunt, quod intendit, decernat: ergo ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ non autem conditionata de eo, quod à voluntate noſtra fiet, ac eueniet, ſi medium illud ſufficiens donetur, directiua eſt electionis medij ſufficientis & improuidentiæ habitæ ex eiuſmodi intentione.

7. Confirmatur eadem minor: quia ad electionem medij ſolummodo ſufficientis, qua talis, nulla ſcientia media conditionati contingentis futuri ſub illo poteſt dirigere, & inducere voluntatem Dei ſerio intendentis actum liberum noſtrum, vel finem ipſo vlteriorem: ſed nulla ſcientia (ea excluſa) poteſt antecedere, dirigere ac inducere voluntatem Dei ad medij ſufficientis, qua talis electionem, præter ſimplicis intelligentiæ: ſiquidem ſcientia viſionis, quæ reſtat non ante, ſed poſt medij electionem eſt: ergo ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt directiua, & inductiua voluntatis Dei ad electionem medij ſufficientis ad actum liberum, ſeu vlteriorem finem à Deo intentum, qua talis. Maior probatur efficaciter: quia ſcientia media futuri contingentis ſub eo medio ſufficienter nulla eſt de actu libero futuro ſub illo: quia ſub medio illo, non eſt futurus, alioqui non ſufficiens ſolum medium, ſed efficax foret: immò ideò ſufficiens ſolum eſt, quia actus ſub illo futurus non eſt. Sola ergo ſcientia conditionata futuræ negationis actus liberi ſeu vlterioris finis intenti ſub eo medio ſufficienti, ſiue, quod ſub eo medio actus liber, & vlterior finis intentus non erit Deo (cuius ſcientiæ falſitas repugnat) adeſſe poteſt: atqui hæc nequit dirigere, & inducere voluntatem ad eius medij, ſufficientis ſolum, electionem: quin immò eam ab eius electione prorſus retraheret, ſi præcederet: ergo nulla ſcientia media contingentis conditionati poteſt dirigere, & inducere Dei voluntatem ad electionem medij, ſufficientis ſolum, ad actum liberum, ſeu vlteriorem finem verè, ac ſerio præintentum. Antecedens, ſeu minor proximè ſubſumpta probatur: quia implicat eum, qui verè ac ſerio intendit, ac deſiderat, vt aliquid ſit, dirigi, ac induci ad medij alicuius electionem ex certa, & infallibili ſcientia, quod ſub illo medio non erit: ita enim, atque ex ea ſcientia eligens electione ipſa tenderet, vt non eſſet, quod præintenderat verè, ac deſiderauerat: ſerio, vt eſſet, intentione ipſa, ex qua ad eius electionem mouebatur: vafreque, ex induſtria, & data opera, procuraret, ac diſponeret vt non eſſet, quod intendere ſe iactabat illuſoris, & circulatoris vitio, ingenuo homine (nedum Deo optimo) indigniſſimo. Confirmatur denique eadem minor & poſtremus hic diſcurſus in eius confirmationem inſtructus: quia ob rationem, & abſurda in eo contenta quicunque ſcientiam mediam tuentur Doctores, Deum ſcientia media non futuri conſenſus reprobi in finalem pœnitentiam, vel conſenſus peccatoris in actum prauum ſub conditione medij, ſeu auxilij ſolummodo ſufficientis, quod ei confertur ad illud eligendum, & conferendum dirigi, ac induci minimè poſſe, vel peccatoris, & reprobi ſalutem verè non intendere nec ſerio deſiderare aiunt: ſed potius perditionem, ad quam ex eius media illud apponit, ſcienſque, & volens ex induſtria, dataque opera procurat.

8. Dices: hæc eadem inferri, etſi Deus, non ex ſcientia media non futuri actus liberi, ſeu vlterioris finis intenti ſub conditione medij ſufficientis ſolum à ſe eligendi, & creaturæ rationali præſtandi, illud abſolutè eligat & præſtet. Negari quippè nequit, eam ſcientiam conditionatam de non futuro conſenſu libero ſub illo medio, ſi præſtetur, adeſſe abſolutè Deo, cum illud eligit; & nihilominus ea ſcientia, poſita etiam vera intentione conſenſus liberi, à ſufficientis illius medij electione non retardatur; quin ſeriæ Dei intentioni, & vero deſiderio conſenſus noſtri liberi, ſeu vlterioris finis aduerſetur, ergo nec, ſi ea ſcientia dirigatur electio medij ſufficientis, cum præfata intentione ac deſiderio pugnabit. Nec ſatisfacies, ſi dicas: eam ſcientiam non adeſſe Deo formaliter ſumptam pro priori ad electionem ſed ſolum materialiter, ſicut reliqua diuina, ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ directiuæ electionis illius, identificata, vt ſcientia viſionis, & aliorum conditionatorum ſcientia; imò, & immenſitas, æternitas, omnipotentia, &c.

quæ ad eam electionem impertinenter ſe habent: in primis enim Deus medium illud ſufficiens non eligit cæco modo, & euentus ex illo, ſi detur, futuri ignarus, atque ex ſola ſcientia poſſibilitatis effectus, ſeu conſenſus liberi ex illo: eligit enim illud præ efficaci alio, ſub quo, ſi donetur, conſenſum forè cognſcit, alioqui, ſi ex ſcientia ſola poſſibilitatis cõſenſus ſub medio quovis vnum ex eis eligeret, pro ſufficienti efficax eligere poſſet: cum conſenſum ab alterutro poſſibilem eſſe præноſcat: quare, & inſcius omninò reprobum prædeſtinaret, cum ei media, quibus certiſſimè liberaretur præpararet, atque diſponeret: vnde prædeſtinatio & reprobatio caſui & fortunæ paterent: nec Deo ita inſcio prædeſtinanti grætiæ à prædeſtinato deberentur ampliores, quàm à reprobo debeantur: vtrique enim Deus id ſolum ſciens, prudenſque de ſuo contulit, quo vterque poſſet liberari, ſi velit; niſi, vti medium, quo poſſet liberari conferret, ſcientia poſſibilitatis conſenſus ſub mediis propoſitis ſola non contentus, expectaret ſcientiam conſenſus conditionatè futuri, vel non futuri ſub illo, quæ quidem formaliſſima ſcientia media eſt. Si autem ea ſcientia conditionata debet medij ſufficientis electionem antecedere, quin tamen eam retardet de factoque detineat, & id quidem abſque contradictione cum ſeria intentione conſenſus liberi, ſeu vlterioris finis intenti; ex qua ſufficiens ſolum medium eligitur, diſcurſus totus noſter proximus ceſſat. Reſpondetur non omnem ſcientiam, quæ comitanter ſolum pro priori ad electionem vt illius retardatiuam ſe habet eius cauſam eſſe, cum potiùs de ſe cauſa ſit, vt non ſit electio. Patet in muliere, quæ domo egreſſura, vel ad templum ſacri audiendi, vel animi gratia ad agrum, prænoſcit ſui impudicum amatorem occurſurum, & nihilominus ſuæ libertatis, aut pietatis iure vtens egredi ſtatuit: ac de facto egreditur: & tamen aſpectus & affectus turpis amaſij cauſa non eſt, etſi adſtante eius præſcientia, etiam, qua poſſet domi contineri, ea egredi liberè ſtatuerit: quia non ideo, ſed alia de cauſa, vel honeſta, vel licita egreditur.

Si ergò ſcientia media de non futuro conſenſu ſub medio ſufficienti, vt retardans ab eius electione pro priori ad illum comitanter ſe habeat, & tamen, non ideò quia ſub eo medio conſenſus futurus non eſt, ſed alia de cauſa eligatur, ſcientia illa cauſa electionis ipſius non eſt: eligitur autem à Deo ex intentione conſenſus, & ex iure ſeruandæ ſuæ libertatis, in quavis Dei electione exercendo, quibus motiuis eius medij electioni ſatisfit: nam ex intentione conſenſus noſtri ſeria quidem, ſed non tota, qua, citra efficaciam abſolutam contrariam conſenſus eiuſdem libertati Deus poteſt ſerietate, de medio ſufficienti poſitiuè (quod ſatis intentioni illi eſt) prouidetur, neque ex eo fine, quia ſub eo medio conſenſus conditionatè non futurus præuiſus eſt poteſt donari, ita, vt non futuritio illa conditionata conſenſus in electionem medij ſufficientis influat, nec electio illa ſeriæ intentioni ſalutis aduerſetur, vt diſcurſu noſtro dicebatur. Quia verò, neque ex ea ſeria intentione aliquid vltra poſitiuam auxilij ſufficientiam ad conſenſum dare tenetur, libertatis ſuæ eligendi ex omnibus, quæ ſufficientiam poſitiuam habeant integrum ad electionem ſeruat: quin ſcientia media de non futuro conſenſu retardari detinerique à ſufficientis electione anteriori debeat, vt fœminæ exemplum euincit: itaque intentio illa ſeria, ac vera conſenſus ad id ſolum Deum cogit; ne ex illa medium ſufficiens, qua negatiuè etiam ſufficiens, & quod non habiturum effectum cognitum per ſcientiam mediam eſt (etſi comitanter proindè Deo electuro ea ſcientia media adſit) eligatur; non autem, vt ea etiam adſtante ob fines alios medium illud negatiuè etiam ſufficiens non eligatur; ad electionem verò, & prouidentiam medij efficacis pro prædeſtinationis ſcientia media non comitanter ſe habet, vt non niſi habiturum effectum conditionatè, taléque pro priori ad electionem cognitum eligatur, in quo amplior reſpectu prædeſtinatorum Dei gratia elucet quam reſpectu reproborum, quibus auxilium, quod efficax ipſis ſcientia media prænoſcitur, non donatur; ſed ſolum ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſufficiens. Et hæc propoſitæ difficultati ſufficiunt. An verò conſtante, ac non obſtante ea ſeria conſenſus liberi noſtri, ſeu vlterioris finis (verbi gratia, æternæ ſalutis) intentione medium, ſeu auxilium ſufficiens, quia negatiuè ſufficiens, & quia tale per ſcientiam mediam præſcitum à Deo eſt, poſſit eligere? loci huius vbi generaliter, & vniuerſim de Dei prouidentia agimus, atque eius ſpecies explicamus non eſt, ſed ſpecialis controuerſia octaua de reprobatione.

---

## CERTAMEN III.

### *De ſcientia media directiua electionis efficacium mediorum ad finem liberum, & cum illa ſpecialem, & perfectiſſimam de actibus liberis prouidentiam conſtituens aſſeritur contra Recentes.*

1. Difficultas hoc certamine vniuerſim examinanda & expedienda de ſcientia, quæ debeat dirigere decreta electiua, & appoſitiua mediorum de ſe indifferentium, & extrinſecus ab effectibus efficacium perfectiſſima, infruſtrabili, ac certa de effectibus liberis præintentis à Dei prouidentia in ſcholæ Thomiſticæ Ieſuanæ Doctoribus, eiuſque aſſeclis, qui mediorum ad actus liberos efficaciam extrinſecus ab his pro futuritionis conditionatæ ſtatu ſumendam eſſe cenſent, locum ſolummodo habet eam in ſpecie quadam prouidentiæ huiuſmodi nempè prædeſtinatione, ex annis non multis Recentiores noſtri diſputarunt acerrimè: ad eam nimirum offendentes difficultatem, in quam ego olim Recentiſſimus Theologiæ auditor incideram, & vt tunc putabam primus; tametſi ſequenti anno cuſus Herice & à ſe, & ab ingenioſis aliis ex noſtris Caſtellanis tactam difficultatem referat citata d. 22. cap. 3. num. 18. §. *vt reſpondeam*, medio atque fusè d. 23 cap. 14. num. 100. obiect. 3. cum tamen ab antiquioribus ſcholæ noſtræ Doctoribus, nulla ea de re controuerſia fuerit: aſſerentibus cunctis ſcientiam mediam directiuam eſſe decreti electiui, & collatiui auxilij, ſeu medij ita efficacis prædeſtinatis: inde ſcientiæ mediæ, eiuſque ex ſcripturis & Patrum doctrina erutæ aſſertorem, propriiſque ad ſcholas, & controuerſias vocibus, & argumentis illuſtratorem noſtrum Molinam in primis ſuſpicientibus, & commendantibus, quod eius ſcientiæ interuentu prædeſtinationis certitudo, & infruſtrabilitas cum prædeſtinati libertate in actu primo, & ſecundo facili negotio componatur. Cum autem eadem intentionis ſerietate, & deſtinationis certitudine, qua prædeſtinatis gloriam, actum quemvis liberum, etiam indifferentem rationali creaturæ velle Deus poſſit: totumque aliter ſentientibus Recentioribus ab euerſione libertatis actus prædeſtinati, ſi medij, vel auxilij efficacis electio, & collatio ex præuia ſcientia media dirigente proueniat, deſumitur: oportunius hic ea de re vniuerſim de prouidentia certa, & infruſtrabili Dei, circa quemvis actum liberum, agentes diſputabimus: cum ex prouidentiæ, de quovis actu libero certitudine, eiuſque libertate ſit omninò definienda quæſtio: tametſi ab his qui rerum, quas examinant cuncta vtilia exactè luſtrare, rectaque methodo ab vniuerſalioribus tradere non nimis curant, in ſpecie prouidentiæ huius (prædeſtinatione nimirum) fuerit controuerſia hæc verſata.

2. Fuit autem nobis, & Caſtellanis, vt video, ad controuerſiam hanc difficultas petita ex abſoluta præcedentia ſcientiæ mediæ decretum abſolutè medij illius, ab extrinſeco etiam efficacis, electiuum, & collatiuum regulantis in prouidentia hac ad actum liberum ſub medio efficaci liberè futurum, qui proinde, niſi hoc medio (quæ conditio ad eius conditionatam futuritionem fuit) purificato, & abſolutè pro priori naturæ poſito abſolutè futurus eſſe non poteſt: ſi medium illud ex ſcientia media

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

media dirigente, eoque ſubinde natura, & cauſalitate priore, purificetur, atque abſolutè apponatur, videtur, & voluntatis, & actus creati libertas peſſumire: etenim poſita abſoluta exiſtentia, & præcedentia ſcientiæ mediæ, decretóque electiuo, & purificatiuo, medij ita efficacis ac ſubindè abſoluta etiam purificatione, exiſtentiæ, & præcedentiæ medij ipſius, nulla poteſtas voluntatis creatæ (immò, nec diuinæ) ad actus omiſſionem eſſe poſſe videtur: eſſet enim poteſtas ad coniungendum duplex, vel potius multiplex contradictorium. Nempè, & conditionatæ futuritioni, & ſubinde ſcientiæ mediæ, & decreto electiuo, & collatiuo abſolutè medij illius per eam directo, & regulato: ſiquidem omiſſione abſoluta data poſito abſolutè, & purificato pro naturæ priori medio, & conditione actum liberum ſub ea forè nuſquam, nunquamque verum eſſet: immò verum ſemper fuiſſet actum eiuſmodi ſub eo medio, ſi daretur, non eſſe futurum; quod futuritioni eius conditionatæ ſub eo modo repugnans, & formale excluſiuum eſt: ac ſubinde, & ſcientiæ mediæ de eius conditionata futuritione ſub medio illo, & decreti abſolutè electiui & collatiui medij illius. Cum autem tot ex omiſſione illa abſoluta repugnantię contradictoriæ inferantur, nullaque ad contradictorium, vel vnicum, coniungendum diuinæ etiam nedum humanæ & creatæ voluntati poteſtas abſoluta dari queat, fit planè: poſito pro priori naturæ ad actum liberum medio illo ex ſcientia media decretum electiuum & collatiuum illius dirigente non eſſe in voluntate creata omittendi illum abſolutam poteſtatem proximam, ſed nullam: cum nulla alia abſoluta poteſtas voluntatis ſit, niſi, quæ eo medio indifferenti completur, cum aliud non adſit. Hoc autem ſcientia media regulatum ſui pro priori naturæ abſoluta poſitione antecedentem connexionem cum actu: & impoſſibilitatem omiſſionis in actu primo affert: ſed nec in voluntate poteſtas ad medium illud abolendum, & medium aliud afferendum, ſub quo omittat, caſu quo omitteret, perſtaret. Non ad abolendum medium illud: cum actus omnis ſui principij phyſici perfectiuus ſit, & cui principij ſui phyſici deſtructiuum eſſe repugnet. Sed nec ad aliud medium adducendum. Tum, quia mediorum eiuſmodi (puta primarum cogitationum) electio penes creatam voluntatem, eiuſque poteſtatem, & deliberationem non eſt: tum, quia ad deliberandum, ſeu quoquo modo ex libera omiſſione cogitationem aliam, ſub qua omitteret, adducendam, cogitatio alia deberet præcedere, quæ de facto, & abſolutè non adeſt: & de qua inſtauratur difficultas eadem, ſi ex ſcientia media dirigente decretum electiuum, & collatiuum ipſius ea cogitatio à Deo inferretur. Demum ante primam cogitationem, in qua argumentum locum habet, prior alia eſſe non poteſt: quare nec potentia adhuc remota omittendi adeſſe voluntati poteſt.

3. Hanc difficultatem Herize noſter d. 23. cap. 14. citato num. 192. tametſi initio numeri ſolidam eius, ac veram ſolutionem attigerit (quam d. 22. cap. 3. num. 26. explicandam eo loci promiſerat) propè medium tamen diuertiſſe videtur à vero, reſpondens: medium indifferens de ſe, & extrinſecus efficax, eiuſque electiuum, & collatiuum decretum ex duplici Dei ſcientia prouenire, ac regulari: nempè, & ſimplicis intelligentiæ, & conditionatæ: & quidem, quatenus ex prima prouenit ſatisfit exigentiæ effectus, ſeu actus liberi, qui, vt fiat, ac ſit, medij, ſeu auxilij entitate, ex quacunque ſcientia proueniat, ſatis habet: vt autem non, niſi ſcientia media adſtante à Deo eligitur medium illud, & apponitur; ſatisfit dignitati perfectiſſimi prouiſoris actus liberi noſtri, qui incertus, & quaſi in ſuſpenſo de euentu contingenti ex ipſis futuro, non ſine imperfectione de mediis ad ipſum prouideret. Addit tamen: ad perfectionem hanc prouidentiæ, & p ouiſoris perfectiſſimi non ſpectare, vt ex ſcientia media futuri euentus de mediis prouideat: id enim prouidentiam actus liberi non perficeret, ſed deſtrueret. His planè primam ſuam, & veram ſolutionem, atque doctrinam deſerit, ad quam redit: tandem numero eodem. Hanc Herize doctrinam de electione diuina, & collatione medij indifferentis ab extrinſeco efficacis è duplicis ſcientiæ directione, & ſimplicis intelligentiæ, & mediæ, vnicam difficultatis præſentis componendæ cenſentes, ſectati ſunt, ac mordicùs deffendunt Recentiores ex noſtris Antonius Perez, eiuſque aſſeclæ. Gaſpar de Ribadeneira de prædeſtinatione d. 1. atque alij in manuſcriptis: explicatitamen aiunt: ex quavis harum ſcientiarum decretum abſolutum ab alio ex alia ſcientia à Deo conceptum diuerſum, ex quo ſolo abſolutè medium conferretur, etſi aliud abeſſet in Deo eſſe admittendum: & ex decreto quidem regulato per ſimplicem intelligentiam collato medio, libertatem in actu primo proximo conſtitui: cum nihil incompoſſibile cum omiſſione actus ex eo medio futuri ex parte actus primi ſupponat: vti decretum aliud ſcientia media regulatum ſupponit: ſcientiam, ſcilicet mediam futuri actus infallibiliter ſi purificetur, abſolutéque apponatur conditio, quæ ex ita regulato per ſcientiam conditionatam decreto purificatur, atque ex parte actus primi apponitur. Vnde conſtat in caſu omiſſionis ex parte actus primi poſſibilis, non quidem actum primum phyſicum, qui eo medio ſeu conditione abſolutè poſita completur, eſſe implicatoriè deſtruendum: ſicut ſcientia media deſtrueretur, cum ex alio decreto per ſimplicem intelligentiam (quæ eo etiam caſu perſtaret) abſolutè eſſet, & perſiſteret.

4. Dicendum nihilominus eſt, in omni prouidentia perfectiſſima Dei erga actum & finem quemvis liberum rationali creaturæ, & quæ electione mediorum ab extrinſeco efficacium conſtare debeat, debere etiam abſolutum decretum electiuum, & collatiuum ipſorum ſcientia media dirigi, ac regulari. Hæc noſtrorum omnium Doctorum concluſio eſt: à qua Herize veritus recedere à proxima cogitatione, tametſi ſua, deſtituit citato numero, ad ſolutionem neceſſitatis logicæ actus & logicæ impoſſibilitatis omiſſionis, ex qua reſpondere cæperat, demum recurrens. Probatur concluſio: eiuſmodi prouidentia perfectiſſima eſſentia ſua certitudinem, & infruſtrabilitatem euentus, ſeu finis contingentis erga quem eſt, prorſus habet: aſt, ni medium natura ſua, & ab intrinſeco efficax, contra Thomiſticam Ieſuanam ſcholam admittatur, nequit ea prouidentia perfectiſſima natura, & eſſentia ſua certitudinem, & infruſtrabilitatem euentus contingentis prouiſi habere, ſi medij ab extrinſeco ſolum efficacis abſoluta electio, ac ſubinde collatio ſcientia media de conditionata euentus futuritione ſub medio illo non dirigatur, ac reguletur: ergo in eiuſmodi prouidentia medij ita efficacis electio, & collatio proinde abſoluta, ſcientia media dirigitur, ac regulatur. Maior eſt certa ac dogmatica in ſpecie altera prouidentiæ huius, nempe prædeſtinatione, ex eo præcisè, quod eius perfectionis prouidentia exactiſſima ſit. Minor verò obſcurior non eſt: etenim prouidentia obiectiuè libera perfectiſſima eſſentia ſua duo hæc ſolum in ſua natura, & eſſentia claudit: præſcientiam euentus ex mediis, & horum electionem, & præparationem, ni eam imperio intellectuali (quod ſchola noſtra reiicit ſatiſque fusè impugnauimus quæſt. 1.) vel conſtituas, vel compleas: atqui electio abſoluta medij intrinſecus indifferenti ad euentum, eiuſque oppoſitum per ſe, & ſecundum ſe ſumpta ſolum affert medium intrinſecè indifferens, quodque ſubinde cum euentus defectu & omiſſione æque coniungibile, & amice componibile ſit, atque cum ipſo actu: ergo electio ipſa medij illius, nec ſecundum ſe ſumpta; nec ratione medij quod affert atque abſolutè apponit, certitudinem, & infruſtrabilitatem euentus illi perfectiſſimæ prouidentiæ adducit: ergo ſolum ex ſcientia directiua (quæ ſola altera prouidentiæ pars eſt) poteſt eiuſmodi electio & collatio abſoluta medij, ac ſubinde prouidentia eam euentus contingentis prouiſi certitudinem, & infruſtrabilitatem ſortiri. Atqui nequit eam ſortiri è ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ de poſſibilitate euentus, quæ electionem eius medij dirigat: cum eadem ſcientia poſſibilitatem defectus, & omiſſionis euentus illius æque repræſentet, atque euentus ipſius poſſibilitatem ex medio illo ad cuius electionem dirigit: ac proinde, & de ſe, & coniuncta etiam cum electione, & abſoluta medij poſitione, æque eſt cum euentus defectu, & omiſſione ſub illo medio ea ſcientia coniungibilis: ergo niſi abſoluta electio & collatio medij illius ex ſcientia media de euentus conditionata futuritione

ſub medio illo præcedat intrinſeca & eſſentialis certitudo, & infruſtrabilitas euentus prouiſi eiuſmodi perfectiſſimæ Dei prouidentiæ, ac Deo quam exactiſſimè poteſt contingentis euentus prouiſori nuſquam poterit adeſſe.

5. Stata quidem hæc Thomiſticæ ſcholæ ſocietatis doctrina, & gloria in re ſcholaſtica præcipua: ſcientiæ nimirum mediæ explicatione, & illuſtratione concordiam certitudinis, & infruſtrabilitatis diuinæ de creatis noſtris actibus, & euentibus liberis cum horum libertate ex patribus, & Theologica ratione, Scholaſticis, & Controuerſiſtis in apertum adduxiſſe. Quod ſi eiuſmodi media ſcientia mediorum de ſe indifferentium, & extrinſecus efficacium Dei abſolutam electionem, & ſubinde collationem eorum non dirigat: quare nec ad illam prioritate, quaſi naturæ, præcedat, prouidentiamque exactam Dei de noſtris contingentibus conſtituat; horum quidem contingentia, libertaſque ſaluabitur; intrinſeca, & eſſentialis vero eius prouidentiæ certitudo, & infruſtrabilitas euentus contingentis peſſumibit, vt hactenus demonſtrauimus: ac ſubinde improbus tantorum Doctorum in ea ſcientia eruenda, explicanda, adſtruenda, ac vindicanda labor deterrimo ſenſu improbus erit, planéque otioſus, & rei Theologicæ prorſus inutilis. Is enim fructus eius ſcientiæ Theologiæ commodus eſt: certitudinem diuinæ huius exactiſſimæ prouidentiæ de noſtris contingentibus prouiſis cum horum contingentia, & libertate conciliare; qui ſi abeſſet, otioſa, inutilis, ac pernicioſa Theologiæ ſcientiæ mediæ doctrina eſſet, ac diſturbandis Scholaſticorum mentibus appoſitiſſima: vt in eius vſu ad controuerſias de incarnatione, & alias Theologicas dirimendas, quæ hanc concordiam non concernunt, apud Recentiores plures eſt videre: qui inanibus ex ſcientia media diſcurſibus Theologiam quæſtionibus de poſſibili inutilibus opplent, vtilibus Theologiæ, quæ de facto eſt, vel omiſſis, vel ieiunè ac perfunctoriè, & indignè vix attactis. Vnde conſtat, quam immeritò, atque in ſcholæ ſuæ Magiſtros, & Duces irreuerenter Recentiores memorati num. 3. à directione decreti electiui, & collatiui abſolutè eorum mediorum in prouidentia exactiſſima Dei de noſtris contingentibus incluſi ſcientiam mediam excluſerint: ſolámque ſimplicis intelligentiæ admiſerint ad decreti illius directionem. Dixi excluſerint: nam ſi etiam cum ſimplici intelligentia ſcientiam mediam dirigere decretum abſolutè electiuum, & collatiuum medij illius admittant: iam in toto illo coniuncto ſcientiæ adæquatè directiuæ ſcientia media præcedit medij illius abſolutam pro priori naturæ ad actum, ſeu euentum prouiſum poſitionem: cum qua ponitur ex parte actus primi, & ad actum ſeu euentum abſolutum neceſſitas, & ad eius omiſſionem impoſſibilitas antecedens: atque difficultati contra communem noſtram concluſionem quę eos exorbitare, atque in auia, & prærupta ire egit, ſunt cum noſtris reliquis obnoxij.

6. Sed quandoquidem Recentiores iſti eius difficultatis metu à directione decreti illius abſolutè electiui, & collatiui medij extrinſecus ſolum efficacis in prouidentia hac actus ſeu euentus contingentis exactiſſima ſcientiam mediam volunt excludere: quidnam ſcientia media in exactiſſima prouidentia præſtabit? quaſve in eius conceptione partes aget? quodve munus ſubibit? Dei, inquiunt omniſcij, nulliuſque ignari mentem ornare, ac prouidenti ex alia ſimplicis intelligentiæ ſcientia de euentu ſeu actu noſtro contingenter futuro comitanter aſſiſtere: cuius comitante aſſiſtentia Deo prouidenti, quod de rei euentu, & medio illo incertus & ignarus prouideat, dici abſolutè non poteſt: Quemadmodum, nec de fœmina, cui occurſus amantis turpis, libidinoſique eius aſpectus, & affectus ſi ad ſacrum, vel concionem audiendam templum adit: non tamen ex eius euentus ſcientia, comitante ſolum, ſed ex alia, ex qua templum adire decernit. Cæterùm, ſi ſcientia conditionata euentus ſub illo medio, ſi apponatur, futuri, nullatenus, vt abſolutè eligatur, inſeruit; ſed reſpectu eius electionis merè comitanter ſcientia illa media ſe habet: Deus non eligit, nec prouidet de eo medio, quia eſt euentus conditionati ſub eo futuri conſcius, & prudens, magis quam, quia conſcius, & prudens oſcitationis Turcæ, vel ortus vermiculi, aut floris in hortulo; ea enim omnia, & reliqua æquè comitanter cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ (quæ ſola electionem dirigit medij illius, ac prouidentiæ de euentu contingenti ſubſeruit per te) Deus, quia omniſcius cognoſcit: ac proinde æque comitanter (quod ad medij electionem, prouidentiamqué de euentu contingenti per illam prouiſo attinet) cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ eorum omnium ſcientia ſe habet, atque ſcientia media de futuritione conditionata euentus ſub medio eligendo, ſi apponatur: ergo non aliter dicetur Deus eligere, & prouidere de medio ad euentum contingentem, non ignarus, ſed ſcius futuritionis conditionatæ euentus contingentis ſub medio illo, quàm ſcius, ac non ignarus oſcitationis Turcæ, vel ortus vermiculi aut floris in hortulo. Ecquid autem horum comitans ſcientia perfectionis prouidentiæ, & prouiſoris, ſeu prouidentis Dei de medio ad euentum contingentem affert? Ergò, nec ſcientia media de futuritione euentus conditionata, quæ medij ad illum electionem non dirigat, nec prouidentiam ingrediatur, ſed ſolum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ electionem dirigentis, & ſubinde prouidentiam de medio ad euentum illum conſtituentis comitetur, quidquam perfectionis, certitudinis, ac infruſtrabilitatis diuinæ prouidentiæ, & prudenti electioni medij illius, ac ſubinde exactiſſimæ prouidentiæ poterit afferre.

7. Dices: obiecta alia omninò diſparatè ad euentum contingentem ſe habere: quare & ad electionem & prouidentiam de medio ad illum: aſt futuritionem euentus eiuſdem conditionatam, ac ſubinde eius ſcientiam conditionatam reſpectu futuritionis eiuſdem euentus abſolutæ, & electionis, & prouidentiæ de mediis ad ipſam non ſe habere diſparatè, & impertinenter, licet ſe reſpectu earum comitanter habeat ſolum. Contra quidquid ad aliud nullatenus conducit impertinenter ſe ad aliud habet, tametſi id, quod ad aliud conducit alio titulo comitetur: id enim quod ad rem aliquam nec eſt, nec facit, impertinens omnium ſententia, & definitione ad rem illam eſt. Vel ergò ſcientia media de futuritione conditionata euentus contingentis ſub medio illo eligendo, quo abſolutæ huius futuritioni à Deo prouidetur, electioni, & prouidentiæ de medio ad contingentis abſolutam futuritionem conducit, ac inſeruit, titulóque perfectionis, electionis, & prouidentiæ ad contingentis abſolutam futuritionem in Deo ſubinde ponitur: vel nullatenus ad perfectionem electionis, & prouidentiæ illius conducit ac inſeruit, nec eo titulo in Deo prouidente & eligente medium illud ponitur ſed titulo alio: nempe omniſcientiæ Deo propriæ, ſeu, quia omniſcius eſſe Deus debet? Si primum ſcientia media de futuritione contingentis conditionata ſub medio eligendo, non comitanter ſolum, ſed antecedenter ſe habet ad eius electionem, & prouidentiam de eius abſoluta futuritione, ſicuti reliqua, quæ horum abſolutæ exiſtentiæ conducentia, atque inſeruientia ſunt: ſi autem dicas ſecundum: nempè perfectioni electionis, & prouidentiæ illius nuſquam ſcientiam illam mediam inſeruire: neque eo titulo perfecti & prudentis electoris & prouiſoris, ſed alio titulo omniſcij in Deo poni, non ſolum comitanter ſed prorſus impertinenter ad eam Dei electionem, & prouidentiam, earumque perfectionem ſe in Deo habebit, æque atque aliorum obiectorum ſcientia; neque ex eius ſcientiæ aſſiſtentia Deus formaliter ſciens, & prudens de euentus futuritione, ſeu formaliter non ignarus prouidebit, ſed ſolum materialiter. Vnde qua prouiſor contingentis euentus perfectus haud quaquam erit, ſed de euentus futuritione ſuſpenſus ac formaliter incertus. Confirmantur hæc omnia: quia eius ſcientiæ comitantia ſola formaliter, non vero formali præſuppoſitione ad electionem medij, aut ingreſſu in prouidentiam, nequit prouidentia certa de euentu contingenti formaliter conſtitui, vt patet: at de conceptu prouidentiæ perfectiſſimæ, & exactiſſimæ diuinæ (de qua diſputamus) eſt certitudo formaliſiue eſſe formaliter certam: ergo ſola comitantia ſcientiæ mediæ non conſtituitur, nec euadit Dei prouidentia de euentu contingenti (vt eſſe debet) formaliter exactiſſima, & perfectiſſima: ſubindéque nec Deus perfectiſſimus de euentu illo prouiſor (qui talis perfectiſſima formaliter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ter prouidentia conſtitui ſolummodo poteſt) niſi ea ſcientia media præcedat.

8. Denique pura hæc comitantia ſcientia mediæ ſine directione,& antecedentia ad electionem medij in prouidentia perfectiſſima impugnatur, & confirmatur noſtra communis concluſio. Etenim,quicunque creatus,& prudens prouiſor eorum quæ ſerio intendit,& quibus,vt eueniant, exactè vult prouidere, antequam media eligat, & ad eorum abſolutam exiſtentiam de mediis prouideat, quid ſub eis futurum abſolutè ſit, nec ſolum, quid ex eis eſſe poſſit, ſagaci, &, ſtudioſa induſtria, & diligentia coniectatur: nec prius media eligit, nec poſtea alia, ſed ea, ſub quibus, ſi adhibeantur, certius, ſecuriuſque (intra coniecturam tamen, & probabilitatem quam ſolum poteſt) euentum forè conditionatè prænouit: nec ea eligeret, ſi certiorem notitiam de euentu conditionatè futuro ſub eis vel aliis mediis ſe habiturum ſperaret,priuſquam hanc etiam adquireret ac præhaberet: ergo ad perfectam mediorum ad ſerio tota qua intendi ſerietate poteſt) intentum finem abſolutè obtinendum electionem,exactamque prouidentiam ſcientia de futuritione conditionata (quam certa ab intendente & ita exactè prouidente haberi poſſit) debet natura præcedere, atque medij electionem illam dirigere: ergo & in Deo contingentem noſtrum euentum ita ſerio intendentem,& exactiſſimè de eius abſoluta futuritione prouidentem ſcientia media certa, & infallibilis de eius conditionata futuritione ſub medio eligendo debet antecedere eius electionem, ad eamque dirigere, nec ſola ſimplex intelligentia de poſſibilitate eius ſub medio illo ad electionem eius & prouidentiam hanc ſufficiet. Exemplum ſcientiæ ſolum comitantis, vt aiunt fœminæ de aſpectu, & affectu amaſij impudico, ſi Templum ſacri audiendi cauſa adeat, vt decernit è re aduerſariorum non eſt,ſed potius è noſtra. Siquidem, vt eius euentus non ignara ſed ſciens,prudenſque templum adire abſolutè dicatur, eius voluntatem determinatam, ac deliberatam debet non comitari ſolum ſed præcedere.Non quidem vt quid ad voluntatem adeundi templum inducens & dirigens: ſic enim ex ea ſcientia adeundo templum peccaret, ſed, vt quid ab eo templi aditu retrahens, quod ad deliberandum de adeundo templum vel domi manendo debet præcedere:non minus quam ſcientia ad templum adeundum inducens vt patet: ſiquidem vtraque ſcientia libertatem voluntatis in actu primo, atque indifferentem poteſtatem ad vtrumvis,vel manendum domi, vel templum adeundum conſtituit: quare liberam, ac deliberatam voluntatis determinationem adeundi templum, qua talem antecedit: ac proinde nec ignaram;ſed,ſcientem,ac præſciam euentus illius templũ adiiſſe fœmina abſolutè & meritò,dicetur;quæ immeritò ita diceretur,ſi determinationem determinatam, ac liberam templum adeundi non præcederet, ſed comitanter ſolum euentus illius ſcientia conditionata ac ſubindè purè materialiter,ſe ad illam haberet: quare exemplum hoc ex re,& concluſione noſtra eſt,non aduerſariorum: ſiquidem ad libertatem determinationis adeundi templum, cui ſolum inſeruire poteſt, debet ſcientia occurſus,& affectus praui Amaſij ex parte actus primi præcedere; tametſi ad phyſicum determinationis inducendum,à qua retrahit potius ex parte actus primi non præcedat, ſed comitetur: ſcientia autem media euentus prouidendi ſub eligendo medio,ſi adhibeatur inductiuum de ſe ad medij electionem eſt; nec alio titulo in exactiſſimo,& perfectiſſimo euentus prouiſore,niſi,qua inductiua ad eam electionem, eiuſq; infruſtrabilitatem eſt requiri poteſt, ad inductionem autem ad medij illius electionem debet abs dubio ad illam natura prçcedere,atque ex parte actus primi ſupponi: qua præcedentia ſecluſa comitanter adeſſe prouiſori Deo ad eiuſmodi electionem,perfectámque, & exactiſſimam de euentu prouidentiam,nec citius,nec magis, quam reliquorum omnium ſcientia, & attributa reliquæ Deo,qua Deo,non autem, qua perfecto prouiſori, debent adeſſe.

## CERTAMEN IV.

### *Difficultati propoſitæ aliorum ſolutiones rejectæ.*

1. DIfficultatibus contra noſtram hanc, & communem cæterorum concluſionem appoſitis reſpondent plures, nec indocti Recentiores: principium remotum, nec immediatè inductiuum, & influxiuum in actuum libertatem, & poteſtatem voluntatis proximam, & abſolutè talem ad vtrumvis non conſtituere: quare ex eius principij remoti determinatione ad vnum, & infallibili connexione cum illo eiuſque incompoſſibilitate cum extremo altero, nullatenus principij proximi indifferentiam, ac ſubinde neque actus, ſeu euentus libertatem euerti: quare principij remoti ita connexi cum actu excluſionem ex parte actus primi ad abſolutam potentiæ, & actus, libertatem nullatenus requiri. Decretum autem electiuum, & collatiuum medij, ſeu auxilij regularum per ſcientiam mediam, ex quorum coniuncto cum abſoluta medij illius poſitione actus neceſſario, eſt futurus, & eius omiſſio impoſſibilis, remotum principium eſt, & ſcientia media, qua regulatur, adhuc remotius, & quorum neutrum influxiuum in actum, cui ex remotis ſuis locis, & ſignis connectuntur: ſola ſiquidem potentia cum medio, ſeu auxilio indifferenti de ſeſe principium influxiuum in actum illum adæquatum, & totale eſt: quare nec decretum regulatum ea ſcientia, nec ſcientia ipſa potentiæ, & actus libertati abſolutæ officiunt, nec ad eam conſtituendam, ſeruandamque pro naturæ priori ad actum debent excluſa ſupponi. Huius ſolutionis fundamentum ita diſieci controu. 4. de volunt. d.6. quæſt.2. certam.2. à num.3. vt otioſè prorſus nunc à fundamento ſolutionem hanc confutarem: vſque adeò hebetiores alij Recentiores, quorum preſſo (honoris cauſa) nomine meminimus ibidem certam.3. num.7. poſt med. principium, & cauſam remotam à cauſalitate effectus remoti, ac ſubinde à potentia, abſolutè tali, cauſandi effectum illum remouent: vt cauſam per accidens ſolum, vt muſicam in ædificatore ad ædificandum, effectus illius eſſe velint, & impertinenter ſe ad illum habere: quare cauſæ, & poteſtatis proximæ nihilo poſſe, ſiue remota cauſa, & principium adſit, ſiue abſit immutare, ſed rudem hanc, & plane paradoxam doctrinam relegaui ibidem num.8. Tertio alij ad principia extrinſeca voluntati operaturæ (cuiuſmodi decretum abſolutè electiuum & collatiuum medij de ſe indifferentis, ac ſcientia media illud regulans ſunt) quæ eius libertati officere proinde nequeunt, recurrunt, & hoc confutaui certamine 4. num. 6. eſtque Thomiſticæ Dominicanæ præfinitionis, ac prædeterminationis, & creatæ libertatis concordia, ac tentata ab eis prima ſolutio, ſicuti, & alia Recentium Murcianorum pro ſuis Suariſticis præfinitionibus, (quæ præſenti difficultati aptari facillimè poteſt, & ex connexione ipſa intrinſeca, & phyſica præfinitionis (& idem eſt coniuncti de decreto regulato per ſcientiam mediam, ſcientiaque ipſa, & purificatione conditionis) principij cum effectu libero deſumitur ratione cuius connexionis ab effectu ipſo libero tam præfinitio, quam coniunctum illud in ſui exiſtentia phyſice dependeat, tanquam à neceſſario connexionis termino: quare nec eius libertati quam ſupponit poſſit officere. Hoc etiam diſieci ibidem numero ſeptimo, & certamine 3. numero tertio.

2. Qinto alij recentiſſime reſpondent: abſolutam purificationem, & exiſtentiam conditionis, mediive indifferentis illius à decreto illo regulato per ſcientiam mediam, quare neque à ſcientia media, determinate non pendere: cum ex alio, aliiſque decretis purificari, apponique, & in ſe exiſtere abſolutè poſſet, & æque, atque ex hoc regulato per ſcientiam mediam abſolutè exiſtens, & appoſitum medium illud, ſeu conditio eſt:

inde,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inde, inquiunt, medij eius abſoluta exiſtentia & purificatio à quovis eorum decretorum determinato præſcindit: quorum ſubinde nullum determinatè præcedit abſolutam conditionis, ſeu medij, & euentus exiſtentiam: quare è conditionis, ſeu medij illius abſoluta exiſtentia, & appoſitione ipſa nuſquam bene, ac rectè decretum ex eis alterum determinatè infertur: ac proindè quatenus ad actum liberum per ſe abſolutè medium illud præcedit à decreto regulato per ſcientiam mediam atque ab ea ſcientia, quibus determinatè eius abſoluta exiſtentia non connectitur, minimè procedit: inde neque actus, ſeu euentus liber ab eo medio proueniens: atque adeo, nec decretum illud actus pro naturæ priori ſupponit, quem ſubinde poteſt adquirere, & medium illud, à quo per ſe cauſatur, & procedit, ab eo decreto regulato per ſcientiam mediam determinatè proueniat: non autem (vt poſſet) proueniat à decreto per ſcientiam aliam regulato. Nihil præſtat ſolutio: ſolum enim probat per ſe, ideſt eſſentialter; medium illud ab eo decreto ſcientia media regulato, tanquam à principio ſui vnico, & eſſentiali ad ſuam abſolutam exiſtentiam, in ſuo abſoluto eſſe non pendere; non autem de facto verè, & abſolutè tanquam à ſui abſoluta cauſa pro priori naturæ abſolute exiſtente non pendere in ſua abſoluta exiſtentia pro poſteriori naturæ de facto abſolutè ponenda, cum ex eo ſolo decreto ita regulato medium apponitur, & pro vlteriori alio poſteriori actus ab eo proueniens: inde vero tota oritur difficultas coniungendi cum coniuncto illo pro naturæ priori, & antecedenter, etſi non eſſentialiter, de facto tamen, & abſolutè poſito, connexo cum euentu ſeu actu, atque cum eius omiſſione incompoſſibili, omiſſionem: quare & omittendi (ſine qua libertas ad actum illum eſſe nequit) poteſtatem, ac rurſus: quomodo decretum illud ita regulatum poſſit per actum, ad quem vtpotè effectum ſuum (eſto remotum, quod parui refert vt dixi num. 9.) de facto pro priori naturæ abſolutè exiſtens ſupponitur adquiri, atque in ſuo eſſe dependere ſine repugnantia mutuæ cauſalitatis phyſicæ manifeſta. Confirmatur: quia vtraque repugnantia, non ſtat in eo quod cauſa, & effectus per ſe eo ſenſu aliqua ſint, ſiue quod effectus eſſentia ſua ab illa vnicè eſſentialiter dependeat, aut ex accidenti; ſed ex eo, quod abſolute vere, ac de facto à cauſa effectus cauſetur, & dependeat. Alioqui omnis fere effectus natura ſua permanens poſſet ſuam cauſam producere, vt calor calorem, atque ignis ignem, &c. à quibus producti ex accidenti fuere: cum eo ſenſu, per ſe, & eſſentialiter ab his determinatè eorum abſoluta exiſtentia non pendeant: ſiquidem produci ab aliis poſſent. Secundo: ni hæc cauſis vere talibus de factoque producentibus reſpectu effectuum repugnent: quia cauſæ, & effectus ſunt: nec cauſis, & effectibus per ſe, id eſt eſſentia ſua talibus, repugnare vllatenus ſuadebis, aut defendes. Tertiò, & medium, ſiue auxilium, à quo actus, ſiue euentus contingens prouenit, poſſet ab actu in ſui abſoluta exiſtentia pendere: ſiquidem ita eſſentialis cauſa eius illud auxilium non eſt, vt æque ab aliis produci nequeat: Vnde rurſus: etſi medium, ſeu auxilium phyſica prædeterminatio eſſet ſaluari contra hos Recentiores, poſſet actus libertas: cum prædeterminationis huius abſoluta poſitio dependens ab actu libero phyſicè eſſe poſſet, nec aliam, quam conſequentem, neceſſitatem induceret.

3. Murciani Recentiores ex ſuo principio, ad decretum comitans concurrendi ad actum determinate cum creata voluntate componendum cum huius & actus libertate excogitato, (nempe cum duorum, ſeu duarum libertatum exercitium ad aliquid abſolute liberum apponendum requiritur, ſeruari in eo apponendo vtriuſque, & eius, quod apponitur libertatem, quoties huius conditionalis veritas ſaluatur: *ſi alter ex parte ſua hoc agat, alter ex parte ſua, ſeu, quod ipſius eſt, ad id aget*: Tametſi in alterius poteſtate non ſit actio alterius) præſenti difficultati reſpondent: ſeruari libertatem voluntatis & actus prouenientis ex medio indifferenti de ſe abſolute, non aliter poſito, quam per decretum regulatum per ſcientiam mediam: quamvis, vt ita ortum: ratione ſcientiæ mediæ, quæ ſupponitur cum omiſſione actus ſit incompoſſibile, nec ſcientiæ mediæ, ac decreti illius præcedentium abſoluta poſitio, & præceſſio ab eius actus poſitione, & libero voluntatis exercitio in eius appoſitione pendeat aut pependerit: quare neque abiici, aut impediri, ne pro ſuo priori ſit, vel potius fuerit, à libero voluntatis exercitio in illo actu edendo valeat, neque, vt ſuo loco, & ſigno priori fuerit, adquiri: etenim, etſi hæc ita ſint, quia conditionis, ſeu medij ex hoc, vel illo decreto, hac vel illa ſcientia regulato purificatio, & abſoluta appoſitio, penes creatam voluntatem non eſt ſed penes diuinam coniunctim cum creata in actus productione, & requiſitorum, vt ſuam voluntas creata exerceat præuentione exercendam: vt ſuam voluntas exerceat ſatis erit, ſi Deus, quod ex parte ſua eſt præſtet, nempè medium illud indifferens (quod de facto ex decreto regulato per ſcientiam mediam ſolummodo ac non aliter, ſiue per nullum aliud decretum aliundè regulatum in ſuo abſoluto eſſe actuali, & exiſtentia apponitur) abſolutè per aliud medium regulatum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel conditionatam aliam quampiam, pro caſu omiſſionis apponere. Hoc enim ſatis habetur ad veritatem conditionalis illius. *Si alter ex parte ſua agat: quod penes ipſum eſt, alter etiam, quod penes ipſum, ſeu ex parte ſua eſt, ad id ipſum aget*: quo ſolo vtriuſque exercenda circa id ipſum libertas abundè ſaluatur. Video cogitationem hanc ingenuoſis aliis Recentioribus placuiſſe. Nobis autem, qui ſincerius veritatem quærimus, nec per ambages adeundam putamus: nec multis diſcurſuum machinis, ſed quam poſſint pauciſſimis inueniendam, aliiſque tradendam putamus, principium illud ad ſenſum, & intentum vtrumque Recentiorum iſtorum nunquam non diſplicuit: & quod ad concordandam noſtram in actu hoc determinato exercendam libertatem cum decreto Dei comitanti concurrendi ad eundem actum determinatè inutilem, & repugnantem oſtendi tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 3. q. 3. decretum hoc comitans determinationem voluntatis creatæ multo ex capite quovis modo adſtruatur confutans: quare, quoad hoc impugnationibus ſuperſedendum mihi nunc erit.

4. Quatenus verò ad præſens attinet, facile impugnatur diſcurſus: quoties enim effectus indiuiſim ab exercitio duplicis libertatis duorum ad illum abſolutè ponendum pendet, neceſſe eſt, vt de facto abſolutè illud apponatur ab vtroq; quod ex parte ipſius, ſeu penes ipſum eſt de facto apponi: maximè, cum exercitium libertatis ex parte vnius, pro naturæ priori ad exercitium, & poteſtatem liberam alterius requiritur, quandoquidem abſque exercitio alterius abſoluto non eſt huius ad vtrumque extremum libera abſolutè poteſtas: ergo ſatis non eſt, quod alter aget conditionatè, quod ex parte ipſius eſt, ſi alter, quod ex parte ſui eſt, egerit, vt huius alterius ſeruetur abſoluta libertas: ſed oportet vt vterque, quod ex parte ipſius eſt, abſolutè faciat. Atqui per hoſce non ponitur de facto, & abſolutè ex parte Dei; quod ex parte ipſius apponi neceſſario abſolutè debet, ad omiſſionem actus, & ſine quo omiſſio illius eſt abſolutè alteri voluntati creatæ antecedenter impoſſibilis, etſi conditionatè in caſu omiſſionis apponendum verificetur: ergo non ſaluatur de facto abſoluta libertas in actu primo, ſeu poteſtas eius ad actum, vel eius omiſſionem: quare neque actus libertas de facto à voluntate eliciendi. Maior vniuerſim eſt certa: & cum vnius exercitium liberum antecedenter, & pro naturæ priori requiritur ad libertatem in actu primo, & liberum ſubindè exercitium alterius, eſt euidens (maximè in noſtra ſchola) ex definitione cauſæ & potentiæ liberæ *quæ poſitis requiſitis omnibus ad operandum poteſt operari, vel non operari*: iuxta quam ponenda omnia requiſita ad operandum, & non operandum, abſolutè, & de facto ſunt, vt operari, vel non operari pro libito in actu primo abſolutè, & de facto cauſa liberè poſſit: quare, non poſito abſolutè vno ex requiſitis ad alterutrum deficit plena, & abſoluta ad vtrumvis poteſtas. Hinc contra neceſſitatem decreti prædeterminati, & prædeterminationis à noſtris Doctoribus infertur: non prædeterminatis phyſicè auxilium ſufficiens, & poteſtatem liberam ad vtrumvis adeſſe non poſſe.

5. Minor eſt aduerſariorum: qui plane fatentur auxilium

xilium, ſeu medium de ſe indifferens, & ſolum ab extrinſeco efficax vnicè à decreto regulato per ſcientiam mediam pendere, & vnicè de facto apponi, cum quo coniuncto non ſolum potentia abſoluta, & de facto non eſt omittendi; ſed eſt ad omiſſionem cum eo coniuncto repugnantem, & incompoſſibilem, antecedens abſolutè, & de facto impotentia, & impoſſibilitas: ac proinde ſolum admittunt conditionatum, necdum abſolutum, decretum, quod eſſet, ſi voluntas omitteret ex alia ſcientia regulatum, quo auxilium, ſeu medium illud abſolutè poneretur: & cum quo eſſet abſoluta omittendi poteſtas, quæ planè cum coniuncto auxilij, vnicè ex decreto per ſcientiam mediam de facto regulato abſolutè poſiti, non eſt. Confirmatur vrgentiſſimè in ſchola noſtra Thomiſtica Ieſuana (in qua diſputamus) cuius argumenta omnia eneruantur, ſi poteſtas libera abſolutè, & proximè talis ſufficienter conſtituitur ex poteſtate abſoluta ad vnum tantum extremum, & poteſtate conditionata ad aliud, ſi hoc aliud, ſeu caſu, quo hoc aliud adeſſet, etſi de facto, & abſolute non ſit: quia, inquient, cum adeſt decretum prædeterminatiuum, & prædeterminatio ad actum, ſi tamen omitteret eæ non adeſſent, ſed quod agendum ex parte Dei eſſet, vt omitteret. Et contra cum abſolutè his ſolum ex parte Dei poſitis omittit, eſſet tamen, ſi non omitteret voluntas, ſed ageret, decretum prædeterminatiuum, & prædeterminatio ad actum, tametſi in poteſtate voluntatis noſtræ non ſit, quæ à Deo ſunt de facto impedire, ne fuerint, nec quæ à Deo tunc eſſent afferre: ſtaretque conditionalis illius Recentiorum veritas, cuius ſola verificatione libertatem, & Dei, & noſtri in exertio libero circa actus ſaluari arbitrantur. Quid ergo Recentiores Thomiſtas Dominicanos à libertatis euerſione, & negatione, ac impoſſibilitatis auxilij ſufficientis impugnant iſti Recentiores: quibus, vt ſe protegent, atque in ipſos tela retorqueant, æreum adeo principio ſuo clypeum miniſtrant,

## CERTAMEN V.

### *Firma præfatæ difficultatis ſolutio.*

1. SOlida ergo propoſitæ difficultatis ſolutio, facilis quidem, ſi doctrina noſtra ſcientiæ mediæ medullitus penetretur atque exenteretur, ſe prodit. Explicui autem tom. 1. de Deo vno controu. 2. de ſcientia, & hic controu. de voluntate d. 6. quæſt. 2 penitius ſoleto, ſcientiæ mediæ naturam quantum ad difficultates eorum locorum proprias, opus erat, atque opportunum: ex quibus illud ad præſentem difficultatem memorandum eſt. Connexionem, ſcilicet, ſcientiæ mediæ, quaſi phyſicam, intrinſecam, & propriam, etiam cum conditio purificata, atque abſolute poſita eſt, ac proinde, & coniuncti ex ſcientia media, & conditionis purificatione conflati cum obiecto ſcientiæ mediæ tantummodo eſſe: ſicuti, & cuiuſvis ſcientiæ de re quapiam, pro quocunque ſtatu per illam repræſentato, connexio intrinſeca cum re illa pro eo ſolum ſtatu, pro quo illam repræſentat eſt, eſſeque ſolummodo poteſt: etiamſi illi extrinſecus, quidquid velis adiungatur: ſiquidem nihil alicui rei extrinſecus adueniens, & adiunctum poteſt intrinſecam cum alio connexionem, quam de ſe res non habebat affigere, & afferre. Sicuti nec poteſt naturam, & eſſentiam rei mutare, quod ei extrinſecus ſolum adiunctum eſt: immò nec res ipſa eadem in natura & eſſentia ſua manere, ſi alicuius adiuncti extrinſeci, vel etiam intrinſeci: acceſſu intrinſeco eius naturæ connexio cum alio, quam natura ſua non habebat adduceretur: de eadem enim natura ſecundum entitatem, & eſſentiam ſuam connexionem habere, ac ſimul non habere cum alio manifeſtam contradictionem inuoluit: verum quidem eſt; rem de ſe cum aliquo intrinſecè natura, & entitate ſua non connexam per aliquid intrinſecè inhærens, vel etiam extrinſecus adiunctum, ad vnum determinate agi & adigi, poſſe actiue, vel impeditiuè: vt phyſica prædeterminatione à Deo immiſſa voluntati, vel decreto prædeterminatiuo, aut præſinitione actus contrarij, vel de omiſſione illius extrinſecus aſſiſtente voluntati fiet voluntatis, quamvis intrinſecus & natura ſua indifferenti, & inconnexæ, vel actus, vel eius omiſſio neceſſaria, & extremum alterutrum impoſſibile: quare in coniuncto ex voluntate, & adiuncto erit alterius extremi phyſica & antecedens neceſſitas, & impotentia, ſeu impoſſibilitas antecedens phyſicè extremi aduerſi.

2. Sed tamen opus ad id eſt vt phyſica neceſſitas determinatio, & connexio cum extremo altero, ac ſubinde alterius oppoſiti impotentia abſoluta, phyſicaque, & antecedens impoſſibilitas, & incompoſſibilitas coniuncti huius cum extremo aduerſo tota ab adiuncto voluntati, ſeu rei de ſe inconnexæ cum extremo altero, atque cum alterutro componibili toti illi coniuncto afferatur, quin voluntas, ſeu res de ſeſe indifferens ad vtrumvis, & inconnexa cum altero extremo aliquid de ſuo ad antecedentem neceſſitatem, & connexionem coniuncti illius cum extremo vno, & impotentiam, ſeu incompoſſibilitatem cum altero aduerſo conferat de ſuo, ſed ab adiuncto extrinſeco, ſiue ipſi indito, ſiue aſſiſtente, cum quo coniunctum illud cum altero extremo antecedenter connexum, & cum aduerſo pugnans conſtituit, ſolummodo patiatur. Notatum & exemplis adductis phyſicæ prædeterminationis, & decreti prædeterminatiui, ſeu præſinitionis actus, vel omiſſionis determinatæ componentis, ſeu conflantis coniunctum voluntatis, & prædeterminationis, ſeu decreti, aut præfinitionis alterius extremi ex oppoſitis, in quo abſoluta, & antecedens neceſſitas extremi vnius, & impotentia, ac impoſſibilitas extremi aduerſi tota, penes phyſicam prædeterminationem, decretum prædeterminatiuum, ſeu præſinitionem vnius extremi, ipſiſque intrinſeca, & eſſentialis eſt, totaque ab eis coniuncto illi affertur; quin ad eam antecedentem neceſſitatem coniuncti illius ad vnum extremum, & connexionem, atque impotentiam ad oppoſitum, & cum ipſo incompoſſibilitatem aliquid de ſuo partialiter adhuc, ex parte ſua, reliquum quod de ſe in coniuncto illo indifferens eſt, adducat, & conferat. Si enim phyſica prædeterminatio, vel decretum, aut præſinitio alterius extremi, cum quibus voluntas coniunctum illud natura ad extremum illud antecedens conflat, connexa cum extremo illo natura, & eſſentia ſua non eſſent, & cum oppoſito extremo incompoſſibilia, in coniuncto illo, nec eſſet antecedens neceſſitas ad illud, nec ad oppoſitum antecedens impotentia, & impoſſibilitas. Ex terminis item ipſis euidens hoc ipſum notatum eſt: quia, cum coniunctum quodvis nihil aliud ſit, aut contineat, quam partes, quibus conflatur, ſi partes eius omnes indifferentes in ſe ad vtrumque extremum ſint, nullaque earum cum altero extremo antecedenter connexa, & cum oppoſito incompoſſibilis, coniunctum totum indifferens phyſicè ad vtrumvis erit, nec ad alterum neceſſitatem antecedentem, ad alterum vero oppoſitum impotentiam, & incompoſſibilitatem phyſicè, & realiter continebit. Maxime in præſenti materia, in qua vim motiuam medij indifferentis, nec adiuuat ſcientia media, nec immutat; ſed omnino ſe impertinenter habet ad ipſam, vt dicebam controuerſia de voluntate d. 6. quæſtione 2. Siquidem medium illud indifferens, ex quavis alia ſcientia conferretur; eadem vi, & modo ad actum moueret.

3. Ex his porro notatis duobus certis, & euidentibus duo ad rem præſentem, euidenter etiam inferuntur. Primum ſcientiam mediam, quæ (quæ vtpotè decreti vnici electiui, & collatiui directiua) abſolutè medij de ſe indifferentis, ſolumque ab extrinſecus efficacis ad actum creatum, ſeu euentum contingentem pro naturæ priori, ad actum ſeu præcedit conditionis purificatione ſeu (quod idem eſt) medij illius abſoluta poſitione, intrinſecus, & natura ſua abſolutè cum abſolutè futuro contingenti actu vel euentu phyſicè non connecti, cum quo ante purificationem conditionis ſeu medij illius abſolutam poſitionem non connectebatur; ſed ſolum cum eo, vt conditionatè futuro;

quod ſolum ante conditiõnis, & medij illius abſolutam poſitionem repræſentabat eſſentia ſua, quam intrinſece variari repugnat, vt patet, & euicimus n. 1. Secundo infertur ex dictis notato & n. 2. Neque ex adiuncto medio, ac poſito abſolute, ſeu conditione de ſe ad vtrumvis indifferenti, & cum alterutro extremo componibili purificata poſſe, extrinſecus adhuc potentiam de ſe liberam ad vtrumque cum abſolute futuro contingenti connecti: nec ſubinde coniunctum ex potentia de ſe indifferenti, ac de ſe etiam medio indifferenti ad vtrumvis conflatum connexionem phyſicam cum altero extremo ab eo coniuncto abſolute efficiendo, & futuro, habere poſſe: quare neque in coniuncto illo determinationem, & neceſſitatem phyſicam antecedentem ad actum ab eo abſolute futurum; nec ad oppoſitum impotentiam ſeu impoſſibilitatem antecedentem phyſicam eſſe, cogitarive poſſe: quæque (vt definitio neceſſitatis phyſicæ antecedentis, ſiue ex parte cauſæ ad effectum & impotentiæ phyſicæ antecedentis ad eius oppoſitum à Patribus & Anſelmo ad verbum vtar) *faciat, vel prohibeat rem eſſe, vel non eſſe*, atque alio etiam nomine à Scholaſticis neceſſitas conſequentis, non quidem ſolum illationis, ſed phyſici effectus, qui ex antecedente phyſicè ſua cauſa priori naturæ poſterius natura ſequatur. Cum autem ſola neceſſitas, & determinatio phyſica antecedens (quam conſequentis vocant) principij adæquati, & coniuncti ex parte cauſæ phyſicæ requiſiti ad effectum, & impotentia, ſeu impoſſibilitas antecedens ad eius oppoſitum potentiæ, & effectus libertati poſſit officere, atque coniuncto decreti regulati per ſcientiam mediam de effectu contingente conditionato, & purificationis conditionis, ſeu medij indifferentis per decretum illud, nulla phyſica determinatio, & neceſſitas antecedens ad effectum contingentem ex eo coniuncto mox abſolute futurum adſit, nulla item omittendi phyſica antecedens impotentia, ſeu impoſſibilitas eo coniuncto, neque potentiæ adæquatæ, & coniuncti illius, neque effectus indè abſolutè futuri libertatem lædi poſſe manifeſtum eſt.

4. Cæterum cum poſito abſolutè medio, ſeu purificata conditione decreto vnico per ſcientiam mediam regulato, effectum abſolutè eſſe neceſſarium ſit, atque eius omiſſio cum eo coniuncto ſit incompoſſibilis, explicandæ reſtant, cuiuſmodi ſint eius coniuncti natura antecedentis ad actum neceſſitas, & ad eius omiſſionem impoſſibilitas: quocirca, cum cauſæ, & effectus neceſſitas omnis in antecedentem, ſeu conſequentis vt diximus, & conſequentiæ, logicam purè, ſeu conſequentem adæquatè diuidatur (vt oſtendimus contra Recentiores Thomiſtas Dominicanos tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1) bene Herize noſter loco citato certam. 1. & 2. reſpondit: neceſſitatem ad actum & ſubindè ad omiſſionem impoſſibilitatem, & impotentiam illationis & purè logicam ſeu conſequentem in eo coniuncto eſſe, quæ nullatenus rei, ſeu effectus libertati aduerſetur, & in rei abſoluta exiſtentia præſuppoſita fundatur, non autem in ſuæ cauſæ ad operandum, remque apponendam neceſſitate, & determinatione, qua rei illius contingentia in fieri ab ea cauſa tolleretur: eſt quippe neceſſitas, qua res eſt ex ſuppoſitione quod ſit, ſeu, qua rem, ſi eſt, quandiu eſt neceſſe eſt eſſe: vt cum Patribus: præſertim Boëtio, & Anſelmo t. 1. de Deo vno controu. 3. diſput. 1. fusè, nec ſemel diximus, & demonſtrauimus. Verum, tametſi veritatem Sapiens Theologus attigerit non tamen penitus illam eiuſque fundamenta omnia percalluit: ac proinde inconſtans eodem loco ab ea deflexit, viamque tentauit aliam à nobis impugnatam cert. 3. ideò autem à vero auiauit, nec veram ſolutionem præfatam, quam attigit primo potuit ſuſtinere, quia neceſſitatem coniuncti illius ad actum, & ad omiſſionem eius impotentiam & impoſſibilitatem intrinſecam coniuncto eſſe putauit: quo admiſſo cum coniunctum decreti, ſcientiæ mediæ illud dirigentis, & ſubinde cum ea de ſe connexi, & purificationis conditionis, ſeu medij vnicè ex ita regulato decreto appoſiti, ſecundum ſe totum pro naturæ priori ad abſolutam effectus poſitionem præcedat: nequit non eius coniuncti intrinſeca ad eum effectum determinatio, & neceſſitas, & ad eius omiſſionem impotentia, & impoſſibilitas pro priori etiam naturæ effectum antecedere: quare & neceſſitas, ac determinatio ad effectum, & impotentia, ac impoſſibilitas ad oppoſitum, nequit non eſſe antecedens, & conſequentis, contra veram quam tentauit hic author ſolutionem: quod, ſcilicet conſequentiæ, & logica ſolum, ac purè conſequens foret.

5. Vt ergo vera hæc ſolutio de neceſſitate ſolum logica, & illationis ſeu conſequentiæ, vel, vt Patres & Scholaſtici veteres aiebant pure conſequente ſuſtineatur, oportebat eam neceſſitatem intrinſecam illi coniuncto eſſe firmiter negare, & oſtendere: quod ſatis demonſtratum hic eſt num. 1. vbi, nec ſcientiam ſecundum ſe, & intrinſecum ſui cum abſoluta futuritione effectus connexionem habere, nec vt coniunctam cum abſoluta purificatione conditionis ſeu abſoluta medij de ſe indifferentis poſitione (quomodo coniunctum totum ſecundum totum intrinſecum coniuncti illius eſt) habere illam cum abſoluto effectu connexionem, vt oſtendimus numero 2. quare neque eſſe intrinſece coniuncto illi antecedentem ad abſolutum effectum determinationem, & neceſſitatem, ac ſubindè ad eius omiſſionem impotentiam, & impoſſibilitatem vt num. 3. oſtendebamus. Denique explicandum eſt: quomodo, & vnde extrinſeca ſolum neceſſitas illa ſit, ac proinde logica ſolum, illatiua, & conſequens atque abſolutum effectum ſupponens eſſe poſſit: quippe qui eam ſibi neceſſitatem extrinſecam coniuncti illius abſolute acquiſierit, poſueritque ſua abſoluta contingenti exiſtentia & poſitione: ex huius enim intelligentia, quam par eſſet minore, Herize parum in veritate ſubodorata conſtitit. Recentioreſque alij impugnati cert. 3. & 4. difficillimas, ſuæque, & noſtræ de ſcientia media & auxiliorum efficacia aggreſſi ſunt vias: atque alij, ad has ſce concordiæ prædeſtinationis cum libertate noſtra percipiendas tardiores, ſcientiam mediam, ex qua auxilium conferatur ab vſu abſoluto noſtræ libertatis impedibilem non eſſe docent, neſcientes quæ, & nolentes viam ipſum libertatis noſtræ ſubuertunt. Et eius adhuc (Molinæ noſtro (cum alias, tum maximè in re præſente ſapientiſſimo Magiſtro) ſuam hanc ſcientiæ mediæ impedibilitatem imponunt abſolutam: cum ille expreſſe loquatur, ſi conſenſum abſolutum præcedat, id eſt ex ſuppoſitione, quod præceſſerit; non autem pro naturæ priori ad ipſius poſitionem quod prius, & his acutius, diſpertius & cæteris Scholaſticis clarius, diſtinctiuſque primus tradidit Molina.

6. Eſt igitur extrinſeca hæc, ac ſubinde conſequens neceſſitas coniuncti illius à futuritione extrinſeca conditionata effectus illius ſub conditione medij, & conditionis de ſe indifferentis, & extrinſecus efficacis abſolute poſitæ, & purificatæ quam ſolam conditionatam futuritionem ſcientia illa media repræſentat, & ſupponit. Nec alia eſt in coniuncto illo neceſſitas abſolute ponendi effectus ab ea, qua ex futuritione conditionata ipſius, & purificatione conditionis infertur eius futuritio abſoluta: quæ, ni poſita conditione ſit, futuritio conditionata contradictione manifeſta periret: vel potius pro priori ſuo maioris vniuerſalitatis ad eiuſdem effectus futuritionem abſolutam non fuiſſet: ac ſubinde nec ſcientia media de illius ſub eadem conditione, & medio de ſe indifferenti ad effectum, & ad eius oppoſitum extremum conditionata futuritione, quam, vt ſuum obiectum, ſupponit, vſquam fuiſſet: immò vero conditionata futuritio oppoſiti extremi omiſſionis, vel contrarij effectus, qui eam induceret ad illam certo ſane deuolueret: quare, & ſcientia media ab illa certo fuit. Vnde conſtat futuritionem conditionatam effectus ſub ea conditione, & medio, quod abſolutè purificatur, & apponitur, anterius natura ad abſolutum effectum immediatè ab eodem effectu abſoluto pendere: ratione vero illius futuritionis conditionatæ effectus ſub eadem conditione & medio indifferenti de ſe, quam ſcientia media ſupponit, & ſcientiam mediam ipſam, quæ etiam natura (etſi remotius, vt decretum medij illius collatiuum regulans effectum ipſum abſolutum antecedit) ab eodem abſoluto effectu pendere mediate, vt ſit: poſſeque ſubinde à cauſa libera ſua per abſolutam omiſſionem ſui contingentis effectus abſolute impediri, ne ſcientia illa fuiſſet, nec pro ſigno, & priori ſuo naturæ ad abſolutum illum effectum abſolutè præceſſiſſet, acquirique proinde poſſe: imò adquiſitam à cauſa libera per ſui effectus abſolutam poſitionem, in primis, & immediatè conditionatam eiuſdem effectus futuritionem: ſecundò, & mediatè ſcientiam

ſcientiam mediam de illo, ac demum mediatius, ſed non meritoriè, vt diximus tom.1. de Deo vno controu.2. de ſcientia, & controu.3. de decreto concurrendi cum cauſis liberis creatis, decretum medij illius collatiuum. Totum ergo coniunctum quod prius natura abſolutum effectum contingentem anteceſſit, ab eiuſdem abſoluta contingenti ac libera poſitione in ſui exiſtentia pendet: ſed mediatè ratione dependentiæ immediatè futuritionis conditionatæ, quæ ad ſcientiam mediam, & reliqua coniuncti ſubſequentia ſupponitur: quare & ab vſu, & exercitio libero cauſæ in effectus contingentis abſoluta poſitione, & quod abſolutè præceſſerit natura ad ipſum, dependet, acquiſitumque eſt, & ne præcederet potuit per omiſſionem ſub auxilio eodem impediri: foret enim tunc ſcientia media de conditionata omiſſione, nec ex ſcientia, quæ modo eſt daretur: ſi à Deo pro libito daretur, vt poteſt. An verò daretur? Puræ diuinationis, non autem diſputationis Theologicæ, negotium eſt.

7. Cum verò certum, conſtanſque ſit neceſſitatem abſoluti contingentis, quæ ab vſu, & exercitio libero cauſæ liberæ in eius abſoluta poſitione pendet, vt ſit, ſuoque loco fuerit, potuitque impediri, ne ſuo illo loco fuiſſet (tametſi ſemel poſitum abiici nequeat, & à ſuo illo loco ſiue contradictione amoueri) neceſſitatem conſequentem logicam illatiuam, ſeù conſequentiæ ac libertati, & cauſæ liberæ, & effectus contingenti, non aduerſam, ſed amicam ſolummodo eſſe, non antecedentem, & libertati vtriuſque aduerſam: conſtans etiam ac certum eſſe debet neceſſitatem hanc extrinſecam, mutuóque, vt ſic loquar, à futuritione condionata acceptam, imò eandem, atque coniuncto illi extrinſecam, nec cauſæ creatæ, nec effectus contingentis libertati abſolutæ efficere poſſe; etſi ex ſuppoſitione coniuncti illius, & conditionatæ futuritionis, quæ conſequentem illam neceſſitatem, ex quocunque decreto, & ſcientia Dei purificaretur conditio inuoluit, atque in coniunctum illud deuoluit impoſſibilitate logica, & conſequente nequeat effectus non eſſe. Vnde, patet æquiuocationis fallacia, quæ tot alias ingenioſos noſtros Recentiores decepit. Inquirentes, & excogitantes modos à nobis impugnatos totis cert. 3. & 4. vt cum auxilio illo poſito vnicè ex decreto regulato per ſcientiam mediam, nec aliundè in hac prouidentia extituro abſolutam poteſtatem omni repugnantia excluſa omittendi effectum illum inuenirent: cum coniunctum illud extrinſecus participatam neceſſitatem conſequentem effectus abſoluti ſupponat; tametſi per totum intrinſecum coniuncti illius, quod de ſe totum indifferens eſt, vt oſtendimus, & quod ſolum naturæ priori effectum abſolutum contingentem antecedit, cauſæ liberæ effectum contingentem omittere liceat poteſtate antecedente.

8. Sed qu(inquies) abſoluta poteſtas de facto adeſt ad abſolutè omittendum actum purificante & ponente abſolutè auxilium, quo abſoluta poteſtas conſtituitur decreto illo vnico regulato per ſcientiam mediam vt indè futuritio illa conditionata à liberæ noſtræ poteſtatis abſoluto exercitio obiectiuè pendeat ſolamque conſequentem neceſſitatem auxilio de facto poſito inducat? Niſi enim pro naturæ priori decretum abſolutè præcedat poſitiuè, de facto, auxilium quod de facto ab eo vnicè pendet abſolutè non eſt; ac ſubinde neque ad actum abſoluta vlla noſtra poteſtas, quæ illo abſolutè poſito eſſentialiter conſtituitur. Si autem pro naturæ priori decretum illud poſitiuè præcedit, vt abſolutè auxilium, & poteſtas noſtra, quæ ad actum de facto eſt, conſiſtant, nulla eſt abſoluta poteſtas ad eius omiſſionem niſi chymærica: cum decretum illud eſſentia ſua futuritionem conditionatam reſpiciat, & ſupponat; vtpotè per ſcientiam mediam eſſentialiter regulatum, atque eſſentia item ſua auxilium (purificationem, ſcilicet, conditionis qua conditionata actus futuritio inabſolutam neceſſario tranſit) pro naturæ priori ad actum ipſum deuoluat: ac ſubindè abſolutam eius omiſſionem reddat pro eodem priori impoſſibilem: quare neque ab exercitio vllo libero abſoluto noſtræ abſolutæ poteſtatis, quæ eo decreto ponitur, poteſt conditionata actus illius futuritio obiectiuè pendere. Reſpondetur poteſtatem abſolutam ad actum, vel eius omiſſionem entitate, & auxilij, & voluntatis noſtræ adæquatæ conſtitui; cuius actiua vis ad vtrumvis, nec augetur, nec minuitur aut decurtatur, à quovis decreto ponatur illam complens auxilium; nec determinatur ad aliquod extremum, impediturve ad aliud apponendum, niſi id quod ipſam antecedit totam de ſe, & intrinſecam habeat cum altero phyſicam connexionem, & cum altero extremo incompoſſibilitatem afferatque: eam autem decretum illud regulatum per ſcientiam mediam de ſe, & intrinſecè non habet, nec affert, licet ratione futurionis conditionatæ, quam eſſentia ſua mediatè ſupponit, & conditionis purificatione, ſeù auxilij indifferentis abſoluta poſitione, cui cauſaliter connectitur, Logico ſolum, & illationis tranſitu conditionatus actus tranſeat in abſolutum: ea vero conditionata futuritio quæ ſupponitur, obiectiuè ſolum ad ſcientiam & decretum illud ac verificatiuè non autem phyſicè actiuè ſupponitur: quo in genere obiectiuo ab abſoluta actus futuritione pendet vt primum ſit, ſicuti, & ſcientia, & decretum illud: quæ proindè, etſi hanc phyſicè cauſent dum ſunt, obiectiuè tamen ab ea cauſa ſunt; vt eſſent, eamque in alio genere cauſarent, vt iam dico.

9. Et hæc quidem pro difficultatis huius aperta ſolutione ſufficiunt; ſed duo adhuc fors ab acutulo aliquo contra hanc doctriuam, & ſolutionem obiicienda, etſi aliundè petita. Primum futuritionis conditionatæ conſtantiam, & obiectiuam conſiſtentiam, & veritatem à contingentis abſoluti poſitione non pendere: quandoquidem plura futura conditionata ſuo modo ſunt, & quæ obiectiuam conſiſtentiam, & veritatem habent, quin conditio purificetur, & contingentia conditionata tranſeant in abſoluta, à quibus, vt abſolutè poſitis, ipſorum, vt conditionatorum, veritas, & conſtantia obiectiua dependeat; verum cum futuritio illa contingentis effectus conditionata ſub conditione ſit, ita etiam, & eius, & veritatis dependentia abſolutè à contingente effectu non eſt, quovſque purificata condione effectus abſolutè ſit: certum quippe eſt hoc genere dependentiæ obiectiuæ, ac verificatiuæ apud omnes: non ideo verum contingens abſolutè conditione purificata eſſe, quia fore, ſi conditio poneretur, conditionatè verum fuit, ſed contra: quia poſita abſolutè conditione abſolutè conſenſus eſt aut erit, forè conditionatè, ſi poneretur, verum. Sicut ergo ea futuritio ſuſpenſa eſt; ita, & dependentia, quovſque apponatur conditio: quarum autem non apponitur abſoluta ab effectu abſoluto ſub illa non eſt; ſed ſuſpenſa ſolum dependentia ab illo manet. Secundò fors aliquis opponat. Scientia media abſolute præcedit abſolutum contingens quod ex medio, ſeu conditione abſolutè etiam ex ſcientia media poſitum eſt: ergo nequit ea ſcientia media à contingenti abſoluto pendere: quin inter cauſam, & effectum abſolutè exiſtentes, vt cauſent, detur mutua cauſalitas: quam, ſcilicet, vt repugnantem, adhuc in diuerſo genere, execramur. Reſpondetur mutuam cauſalitatem vtrinque phyſicam cauſarum exiſtentium abſolute, vt cauſent, repugnare: phyſicam vero ex parte vnius, non autem phyſicam ex parte alterius, ſed merè obiectiuam, & verificatiuam ſeu verificationis ſui obiecti ex parte alterius non repugnare. Et hanc quidem ſolam habet ſcientia conditionata, & mediatam, à contingente abſoluto ex conditione, ſeu medio abſolute poſito per ſcientiam mediam, quæ proinde ipſum phyſicè cauſat, & naturæ priori abſolute præcedit. Siquidem eatenus ſolum, ac non aliter aliave dependentia à contingente illo abſoluto pendet mediatè, & ſuo modo quatenus eius ſcientiæ obiectum, nempè contingens conditionatè futurum, eiuſque obiectiua veritas, & conſiſtentia, quam ſcientia illa ſupponit, à contingente abſoluto, purificata conditione, obiectiuè, & verificatiuè pendet: dependentia autem eiuſdem pro ſtatu conditionato, & pro quo abſolutè non eſt, à ſe ipſo in ſtatu abſoluto phyſica eſſe non poteſt, quæ eiuſdem ad ſeipſum eſſe nequit: ſicutj, nec niſi ad ſtatum abſolutum phyſice dependentis, & effectus ſui terminari, vt cunctis Philoſophis eſt notum. Obiectiones paralogiſticas plures mitto ex dictis ſolutu faciles, quippe quæ eandem variis terminis difficultatem replicant, nec augent.